

esset : « Nullus, inquit, stultus tacere potest ; » tum quia, ut ait R. Levi, silentium docet sapientiam : retrahit enim animum ab ore ad cor, ut cogitet quid prudenter agere et loqui debeat. Stultus ergo silens videtur quasi statua sapientia vel nummis alienius, quæ non loquitur, sed tamen ab omnibus honoratur, quia sapientiam vel nomen representat. Sic enim stultus sua taciturna gravitate representat sapientem.

Septuaginta in *Catena Græc.* vertunt, *amens sapientiam* (vel *sapientem*) interrogans sapiens reputabitur ; *mutum autem quis se faciens videbitur prudens esse*. Minus recte Complutenses omittunt *sapientiam*. Nam Septuaginta Romæ correcti habent, *insipienti interroganti sapientiam, sapientia reputabitur*. Et sic legit S. Justinus, *epist. ad Zenonem et Serenum*, ac Cassianus, *Collat. IV, cap. ix* : « Discernere divisiones, inquit, et lineas questionum portio intellectus est, et maxima pars intelligentiæ scire quid nescias. Propter quod dicitur : Insipienti interroganti sapientiam, sapientia reputabitur ; quia licet is qui interrogat, vim propositæ questionis ignoret, tamen quia prudenter inquiri, et intelligi quod non intelligat, hoc ipsum illi reputatur ad sapientiam, eo quod quid nesciret, prudenter agnovit. » Quare perperam apud S. Hilarium in *Psalmo cxviii*, littera H, legitur : « In Proverbiis, inquit, Salomonis scriptum invenimus : Ignorando sapientiam, sapiens interrogantibus sapientia deputatur ; » cum in antiquo libro eruditissimi Cardinalis Sireti appareat scriptum fuisse : « Inintelligenti sapientiam interroganti, sapientia deputatur. » Nam id ipsum explicans statim subdit S. Hilarius : « Quo sensu id ostendi videtur, quod qui non intelligat, et sapiens interrogat, sapere credatur, » quia interrogatio hæc signum est quod velit erudiri et discere sapientiam.

Septuaginta prius hemistichium de suo addunt, ut significant duobus modis insipientem sibi suæque lamæ consulere posse, ut habeatur sapiens :

## CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Occasiones querit recessurus ab amico ; impius est incorrigibilis ; non deviantum a veritate ; os stulti esse conterit ; justus se accusat ; frater juvenis fratrem quasi urbs firma ; fructus oris replet ventrem ; mulier bona ingens est bonum, mala ingens malum ; pauper loquitur demisse, dives rigide ; vir amabilis amicos et fratres.*

1. Occasiones querit qui vult recedere ab amico : omni tempore erit exprobrabilis. 2. Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixerit quæ versantur in corde ejus. 3. Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit : sed sequitur eum ignominia et opprobrium. 4. Aqua profunda verba ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiæ. 5. Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate iudicii. 6. Labia stulti miscent

*primo*, si sapiens interroget ; *secundo*, si faciat : sapiens enim interrogatio iudicium est animi sapientis, ac simul a sapiente sapiens elicit responsum, quo discit quid ipse in simili questione sapienter respondere et loqui debeat. Hoc maxima docet juvenes : horum enim est interrogare senes, ut ab eis hauriant sapientiam. Sic Christus duodennis in templo a matre inventus est in medio doctorum, interrogans et audiens illos, *Lucæ II, 46*. Salomon hanc gnomen hausit a *Job cap. xiii, vers. 5* : « Utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes ! » A Salomone eandem hausere Philosophi, Hebræi, Græci et Latini. Hebræorum adagium est : « Laguna plena nummis non sonabit ; unicus et alter si in ea nummus fuerit, sonum edet et tintinet. » Sic sane quo quis doctor, eo est modestior ac taciturnior ; quo indoctior, eo est audacior et loquacior, ut suam sapientiam (revera insipientiam et arrogantiam) ostendat. Seneca in *Proverbiis* : « Tacere qui nescit, inquit, nescit loqui ; » tacendo enim premeditatur quid oportet loqui. Et : « Taciturnitas stulto homini pro sapientia est, » quia reprimit eum non profert stolidam, superflua, impertinentia, perversa quæ mente gerit. Theophrastus ad quemdam qui in convivio jugiter silebat : « Si indoctus et imprudens es, inquit, prudenter facis ; si doctus, imprudenter. » Ita refert Lucertius, *lib. V, cap. II*. Sed Plutarchus hunc in modum dixisse scribit : « Si stultus es, rem facis sapientem ; si sapiens, stultam. » Est enim non minima sapientiæ pars tegere silentio stultitiam. S. Cyrilli dogma est, quod citat hic Dionysius : « Avarus sis verbi et audi libenter. » Denique S. Jacobi, imo Spiritus Sancti lex est : « Sit autem omnis homo velox ad audiendam, tardus autem ad loquendam, » *Jacob. I, vers. 19*. Hoc insipientes et garruli non observant. Nam, ut ait S. Gregorius : « Pravi sicut in sensu sunt leves, ita et in locutione precipites ; quia quod levis mens concipit, levior lingua protinus prodit. »

os rixis, et os ejus jurgia provocat. 7. Os stulti contritio ejus : et labia ipsius, ruina animæ ejus. 8. Verba bilinguis, quasi simplicia : et ipsa perveniunt usque ad interiora ventris. Pigrum dejicit timor : animæ autem effeminatorum esurient. 9. Qui mollis et dissolutus est in opere suo frater est sua opera dissipantis. 10. Turris fortissima, nomen Domini : ad ipsum currit inutus, et exaltabitur. 11. Substantia divitis urbs roboris ejus, et quasi murus validus diremans eum. 12. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis ; et antequam glorificetur, humiliatur. 13. Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum. 14. Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam : spiritum vero ad irascendum facilem quis poterit sustinere ? 15. Cor prudens possidebit scientiam, et auris sapientium querit doctrinam. 16. Donum hominis dilatat viam ejus, et ante principes spatium ei facit. 17. Justus prior est accusator sui : venit amicus ejus, et investigabit eum. 18. Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat. 19. Frater, qui adjuvator a fratre, quasi civitas firma, et judicia quasi vectes urbium. 20. De fructu oris viri replebitur venter ejus, et gemina laborum ipsius saturabunt eum. 21. Mors et vita in manu linguæ : qui diligunt eam, comedent fructus ejus. 22. Qui invenit mulierem bonam, sicut linguæ : qui diligunt eam, comedent fructus ejus. 22. Qui invenit mulierem bonam, expellit bonum : et hauriet jucunditatem a Domino. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum : qui autem tenet adulteram, stultus est et impius. 23. Cum obsecrationibus loquetur pauper, et dives effabitur rigide. 24. Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater

1. OCCASIONES QUERIT QUI VULT RECEDERE AB AMICO ; OMNI TEMPORE ERIT EXPROBRABILIS. — Hebræica a Vulgata dissentire videntur, siquæ ad verbum habent : *Qui ad desiderium* (ita Aquila et Symmachus) *querit separatim, in omni existentia, vel sapientia miscet se* ; quod *primo*, Chaldaeus sic vertit et explicat, *desiderium querit separatim, et omne consilium deridet* ; Syrus clarus, *qui in silentio suo cogitat desiderabilia, bonam doctrinam deridet, q. d.* Qui sequitur concupiscentiam, deridet sapientiam. R. Salomon : Qui, inquit, a Deo divulsus est, illius preceptis non obtemperans, cupiditatibus pravisque animi motibus obsequitur ; atque ita tandem omni tempore erit exprobrabilis, id est inter sapientes probrum suum prodet. Rabbini vero antiquiores de Lot id exposuerunt, qui a cupiditate sua abreptus se ab Abrahamo sejunxit, juxta illud : « Elegitque sibi Lot regionem circa Jordanem, et recessit ab Oriente, divisque sunt alterutrum, » *Genes. xiii, 11*. Hic vero versio salus spectat ad declarandum ejus incestum, sum crimen, quod tandem in universis cæcibus Israeliticis et scholis evulgatum sit ; Ammonitas enim et Moabitas, qui ex nefario illo congressu ortum habuerant, inter Israelitas admitti nefarium erat, juxta illud : « Non intrabunt Ammonites et Moabites Ecclesiam Domini, » *Deuter. xxiii, 3*.

*Secundo*, Aben-Ezra et Pagninus sic vertunt et explicant : Qui propter desiderium (sapientiæ) a domo vel patria sua divellitur, ut sapientiam consequatur, propter vehementem cupiditatem qua flagrat ejus obtinendæ, hic in omni sapientia miscet se, id est cum omnibus viris doctis miscet se, et consuetudinem habet. Et Vatablus : Præ amore sapientiæ ejus studiosus, inquit, qua-

rit conjunctus esse ab hominibus, id est omnibus rebus contemptis querit uni vacare sapientiæ, et in doctrina sana admiscere se solet.

*Tertio*, Baynus hæc accipit de his qui fucantam querunt sapientiam, ut eam ostentent ; unde vertit, *secundum desiderium quoddam magis quam ex animo et bono judicio querit, scilicet sapientiam, cum sit separatim a sapientia ; vel, qui querit verbum aliquod separatim vel scientiam separatam a vera sapientia, hic in omni sapientia miscet se*, hoc est, inter omnes sapientes eum ostentatione quadam sese ingeret, destitutus videlicet a virtute veri sapientis, quæ verba sua cohibeat, humiliter de seipso sentiens. Sic enim distinguuntur vera sapientia et falsa, juxta S. Jacobum, *cap. iii, vers. 17* : « Quæ autem, inquit, dæsurum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens ; sed terrena, animalis, diabolica, ubi est zelus et contentio ; » quod Salomon vocat sese miscere cum his qui sapientes sunt.

Idem aliam subnectit expositionem, quasi dicat : Qui per desiderium quoddam vanum aut juvenile investigat de rebus separatim, et quæ ab hominibus intelligi non possunt, ab omni vera sapientia se ipsum separat ; ut contra vanitatem eorum qui toti in nugis versantur, dicatur proverbium. Prior expositio est melior, et magis quadrat cum sequenti versiculo. Hæc Baynus.

*Quarto*, Cajetanus sic vertit et explicat, *pro appetitu querit sapientiam ; in omni statuto miscet se*. Cerne, inquit, quam dispar est Vulgata editio ab Hebræica veritate. Vir separatim animo a conversatione communi querit, hoc est, perseverat querendo pro appetitu, hoc est, vivendi modum

juxta appetitum proprium. Is enim cui non placet communis conversatio, querit jugiter aliquem vivendi modum conformem appetitui suo, et querendo miscet se in omni statuto, revolvit codices statutorum diversorum circa diversos vivendi modos, si forte inveniat, vel hauriat vivendi modum aliquem secundum desiderium suum: haec Cajetanus (1).

Vides hic, lector, quam in diversa abeant qui a Vulgata recedunt, cui tamen adamussim astipulantur Septuaginta uti antiquissimi, sic et doctissimi Interpretes; qui proinde cum Vulgata in Hebraeo pro תאנא *taana*, id est concupiscentia, desiderium, magis clare et opposite, ideoque verius legerunt תאנא *taana*, id est occasio. Rursus תאנא *taana*, quod Recentiores vertunt *sapientia*, ipsi melius verterunt, *existentia*; jam *omni existentia* idem est quod *omni tempore*, ut vertunt Septuaginta et Noster. Insuper idem vertunt *exprobrabilis*, quia in Hebraeo legerunt תאנא *taana*, id est reprobrabitur, vel probro erit; jam per metaphoram legunt תאנא *taana*, id est miscet se libitibus, probra jaciet, exprobrabit. Unde sic quoque legendo recte Noster et Septuaginta vertunt, *exprobrabilis*, non passive, sed active, hoc est, ut exprobrat et probra jacit. Sic *incredibilis* sumitur saepe in Scriptura active pro incredulo; *persuasibilis*, pro persuasorio, I *Corinth.* ii, 4; *desperabilis* pro desperato et desperare faciente, *Jerem.* xv, 18. Denique etiam pro omnia legas in Hebraeo, uti jam legitur, recte lectionem illam Vulgate et Septuaginta accommodes, hoc modo: Qui pro desiderio, id est pro libito, querit separatus, scilicet esse, id est discedere ab amico, hic in omni essentia, id est in omni re et tempore exprobrabit, hoc est, lites et probra jaciet in amicum. Vulgate et Septuaginta accedit Arabicus, qui vertit, *vir dives, qui dividere vult amicos suos, accipit occasiones, et omni tempore erit exprobrans*.

Sensus ergo est, q. d. Qui pertaesus amici et amicitiae eam vult solvere et dissociare, vel ob animi inconstantiam, vel quia se laesum putat ab amico, vel ut magis utiles aliorum amicitias capiat, hic ne temere et sine ratione, ideoque injudiciter vel malitiose, videatur amicitiae renuntiare, querit occasiones, pretextus et causas, ob quas id juste facere videatur, nunc amici vitia, nunc suas occupationes, nunc alia causando: hic « omni tempore erit exprobrabilis » passive, id est ignominiosus et vituperandus tum ipsi amico, tum ceteris, qui ejus infidelitatem laesent probraeque proscendent; quia cum ipse ne quidem laesus dehisset ab amicitia recedere, causas tamen sine ulla occasione irascendi, et amicum deserendi preterit. Vel potius erit *exprobrabilis* ac-

(1) Recentiores, libidinem, suum arbitrium, non nisi quod sibi lubet, querit qui se separat ab aliis, id est insociabilis, alieni moris contemptor fastidiosus; contra omnem rectam rationem se effert, pugnat animo exacerbato.

tive, id est, lites et probra jaciet assidue in amicum, ut eum a se suaque amicitia depellat; hoc enim significant Hebraea, sive legas תאנא cum Nostro, sive, ut Recentiores, per metaphoram תאנא. Et sic quoque exponas Graecam תאנא, quod habent Septuaginta, active, ut idem sit quod probrosus, contumeliosus, probra jaciens. Posterior enim hemistichium videtur explicare prius, nimirum docere occasiones dissolvendae amicitiae, quas querit amicus infidus, esse lites et probra, quae in amicum assidue jacit. Verum enim est votus proverbium: « Injuria solvit amores; » quod tamen nimius et demens amator falsum esse contendit, dum in Epigram. ita canit:

Fabula, quod jactant, injuria solvit amores;  
Nanque redardecit sic magis iste furor.

Loquitur, ut dixi, Salomon de amico infido et iniquo. Similis tamen ratio est amici aequi et fidi, hic enim eum amicum, quia vitiosum, sibi sine noxium, a se ablegare cupit, querit occasiones quibus opportune et commode id praestet, ne amicum vel alios invisos sibi faciat, et contra se commitet: omnia enim subita sunt violenta, ideoque exosa, praesertim si importune fiant. Unde vetus dictum est: « Amicitiae non rumpenda, sed dissuenda sunt. » Sic Samson instinctu Dei querens uxorem Philistinam, quaesivit occasionem rumpendi pacem cum Philistinis, eorumque jugum excutiendi, *Judic.* xiv, 4. Sic rex Israel, videns regem Syriae ad se misisse Naaman leprosam ut curaretur a lepra, dixit: « Animadvertite et videte quod occasiones (rumpendi foederis et inferendi belli) querat adversum me, » IV *Reg.* v, 7.

Ratio a priori est, quod occasio sit tempus actionis opportunum: unde in aggrediendo conciliandoque negotio praecipuum habet momentum, ut alibi ostendit. Hinc Festus occasionem ita definit: « Est opportunitas temporis casu proveniens. » Cicero vero, lib. I *De Invent.*: « Occasio, inquit, est pars temporis, habens in se aliquid rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem. » Quocirca prudentes in re qualibet, ac praesertim in concilianda vel dissuenda amicitia commodam quaerunt occasionem et opportunitatem; ab opportunitate enim pendet rei ex voto successus, ac prosperae actionis effectus, felixque eventus. Veritas hujus sententiae manifesta est in quotidiana experientia, et potissimum in hereticis, qui quandoquidem fastidio vetustatis, aut sua malitia, quaerunt discessionem ab Ecclesia, quidvis causantur, minutissima quaeque exaggerantes et calumniantes, omniaque insectantes et traducentes apud populum, nihil aliud fere inculcantes in omnibus suis concionibus quam Ecclesiasticorum vitia, in quae assidue debauchantur.

Huc facit apologus vulpis et galli apud mythologos: Vulpes enim nata occasione capiendi gallum criminabatur eum, quod in aurora vociferando somnum suum et aliorum animalium in-

turbaret. Excusavit se gallus. Imo vero, ait, voce mea te et omnes excito ut eveigileis, et cibum praedamque queratis. Cui vulpes: Ut ut est, inquit, prandendum mihi est, impransus a te non discedam; quar- gallum suffocavit et devoravit. Similis est de leone qui cervum criminalus, quod ingrediens laeam ad bibendum, pedibus aquae turbidam efficeret, eum invasit et comedit.

Mystice Auctor *Catechae Graecorum*: « Occasionem, inquit, vel pretextum hoc loco appellat peccata; amicos autem sanctos, quibus per virtutum culturam conjungebatur. Tenebitur porro perpetuo probro obstructus, qui horum amicitia et stabilitate vivit destitutus. » Sic hoc saeculo Henriens VIII, Angliae rex, ut S. Thome Cantuariensis, cui ipse paulo ante cum tota Anglia devotionis et beneficiorum vinculo obstructus vivebat, sepulchrum gemmis et auro dives exilaret, eum non tantum amicum, sed et Sanctorum albo, inaudito a saeculis sacrilegio, expunxit. Atque ut hoc jure videretur facere, eum veluti Henrico II rebellem percuSSIONis reum peregit, et lata in tribunali sententia damnavit, ut fusc narrat Sanderus, lib. II *De Schism. Angliae*: quo facto aeternum Dei, Angelorum hominumque odium et probrum sibi conscrivit. Simili modo peccator ob amicos venere, opes et cupidines amicitiae Dei et Sanctorum renuntiat, ac cum diabolo et mundo societatem copulat, cujus proinde poena et probrum perennabit in gehenna. Tales tacite et reipsa dicunt illud impiorum apud Isaiam, cap. xxviii, 18: « Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, eum transierit, non venit super nos; quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus. » Quibus proinde Deus flagellum intentans: « Delebitur, inquit, fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit; flagellum inundans, cum transierit, eritis ei in conculationem. » Porro occasiones quas impius, ut Dei et Sanctorum amicitiae renuntiet, pretextit, reconsecravit Christus in parabola invitatorum ad nuptias, *Lucæ* xiv, 18: « Et exoperunt, ait, simul omnes excusatum. Et alter dixit: Jura bonum emi quinque, et eo probare illa. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire. » Ubi vide S. Ambrosium, S. Chrysostomum ceterosque Interpretes. Hosce merito increpat S. Jacobus, cap. iv: « Adulteri, inquit, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit esse amicus saeculi hujus, inimicus Dei constituitur. » Vide quoque ibidem annotavi.

2. NON RECIPIT STULTUS VERBA PRUDENTIAE, NISI EA DIXERIS QUE VOLANT IN CORDE EJUS. — Hebraea habent, non volent stultus verba intelligentia, nisi in revelando cor ejus (1), id est, nisi revelas ea quae

ipse corde volvit. Aquila, non volent aemens in prudentia, id est prudentiam, supple, audire et discere. Est hebraismus; Hebraei enim verba et contactus, quale est audire, construnt cum ablativo, mediante prepositione in. Septuaginta, non habet *spus sapientia*, vel potius *nos, habet usum* (hunc enim significat *intellexit*, et hinc respondet Hebraeo תאנא לל לא תאנא, id est non volent) *sapientia mentis inops; magis enim stultitia docitur quam sapientia*; Chaldaeus vero, non vult stultus intelligentiam, sed in stultitia immoratur ejus animus; Syrus, stultus non amat sapientiam, quia cor ejus stultitiam cogitat; Vatablus, stultus non delectatur intelligentia, sed his duntaxat quae corde suo volutat.

Ex his ergo versionibus primo, planum hunc sensum elicias, q. d. Stultus non amat, nec recipit verba sensata et prudentia, « quia sibi despiciunt ob habitum contrarium, » ait Lyranus; sed tantum vana, levia, carnalia et stulla, qualia ipse amat versatque mente sua; quia his plenum est cor ejus, juxta illud: « Animas hominum non percipit ea quae sunt spiritus Dei, » I *Corinth.* ii, 14. Rursus, q. d. Stultus non recipit sapientes doctorum sententias, sed suis quas corde concepit opinionibus mordicus adheret; quare nisi eadem dicas quae ipse sentit, non te audiet, sed explodet. Agitur enim et occenatur stultitia, id est stulta concupiscentia et curiositate; quare verba prudentiae et virtutis non admittit. Ita Auctor *Catechae Graecorum*, Lyranus, Hugo, Arboreus, Dionysius, Jansenius et alii. Juxta hunc sensum *si nisi* accipitur non ut exceptivum, sed ut adversativum significans *sed, tantum*.

Secundo, pressius et profundius, q. d. Non recipit stultus prudentiam, nisi eam dixeris et doceris per ea quae ipse corde suo versat, nisi scilicet te ejus ruditati et stoliditati accommodes, ut cum inepto quasi ineptias, et cum stulto stultescas. Docet ergo magistrum cum stultis quasi desipere, ac stultum agere debere. Juxta hunc sensum *si nisi* proprie accipitur ut nota exceptionis. Ab eo enim quod dixit, stultum non capere verba prudentiae, excipit casum unum, scilicet si stulto ita accommodes: sic enim per stultitiam a stultitia eum deduces ad sapientiam. Igitur haec gnomo significat primo, stultum ita depressum et affixum esse suae stultitia, ut ad sapientiam assurgere nequeat. Secundo, magistrum, ut stultum doceat sapientiam, debere se inepis et stultis ejus concepit, quoad licet, conformare, ut ex eis quae ipse capit et amat, sensim elevetur et deducatur ad sapientiam. Sic Christus vestivit se carne nostra, ut carnales et insipientes homines ad Deum et divina deduceret; accommodabat enim se carnalibus eorum sensibus; unde docebat per parabolas nuptiarum, seminis: messis, zizaniorum, etc., quae Hebraeis et rudibus nota et familiaris

id est, tantum in eo sibi placet, ut prodatur, quod in eum animo gerit, id est in utilitatem suam.

(1) Rectus, sed in eo quod cor suum se ipsum reteggit,

erant, ac per illas adumbrabat, et quasi describebat crasso et rudi quodam modo res celestes et divinas, quas alioqui non intellexissent homines, si nude in se, uti sunt, fuissent a Christo proposita. Christum imitatus S. Paulus, I *Corinth.* 1, 18 et seqq., cels. ait et praeclat. stultitiam crucis Christi: « Quia, inquit, quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. » Et *Galat.* iv, 20: « Velle, inquit, esse apud vos modo, et mutare vocem meam, » ut eum vobis quasi parvulus et balbutientibus balbutirem.

Sic S. Ignatius, fundator Societatis nostrae, nos docuit praxim convertendi mundanos et carnales, dicens: « Ad tales convertendos ingrediamur eum eo quod ipsorum est, sed egrediamur cum nostro, » q. d. Initio miscuimus sermones de rebus mundi, quas mundani capiunt; sed inde commode traducamus sermonem ad ea quae ad salutem animae spectant, qui noster est finis et scopus. Et S. Franciscus Xaverius cum Indis et Barbaris agebat quasi Indus et Barbarus, cum pueris quasi reperescebat, cum militibus agebat de militia, cum agricolis de agricultura, cum mercatoribus de mercibus; itaque omnibus omnia factus, omnes lucrabatur Christo. Ita quisque sua inescandus esse, ac suo capiendus homo.

Porro alii aliter hanc gnomen explicant: *primo*, K. Levi, q. d. « Vectors prudentiam non amat, nisi quando ejusdem insensitia animusque patet: tunc enim tantummodo magnam vim esse prudentiae arbitratur; sed deinde ad sapientiam acquirendam, animoque consignandam non excitatur. » Sic et Vatablus.

*Secundo*, Cajetanus verit. non vult stultus intelligentiam; quod si, ad detegendum cor suum. Et est sensus, quod stultus non studet ad intelligendum: quod si studet ad intelligendum, studet ad hoc ut delegat cor proprium, hoc est, ad manifestandum aliis quod ipse intelligit. Vana gloria itaque describitur falsis imprudentis, si studet ad penetrandum aliqua intellecta. Absolute autem non placet illi intelligentia rerum, aut scriptorum. Haec Cajetanus.

Tales sunt qui novas comminiscuntur opiniones, ac veterum tritas sanasque sententias rident et expoliant; quod superbiae, aequae ac insipientiae, est argumentum. Accedit Baynus: Asserit, inquit, stultum non quaerere sapientiam ob amorem sapientiae, sed dumtaxat ad ostentationem, ut cor suum manifestet, et ut doctus habeatur: alia de causa non vult sapientiam. Sic enim in Hebraeo legitur, nisi ob revelationem cordis sui.

*Tertio*, Cassianus, *Collat.* XIV, cap. xvii, ex Septuaginta sic legit, non opus est sapientia, ubi deest sensus; magis enim ducitur insipientia, sique explicat, q. d. Via virtutis et perfectionis non est docenda apud impios et immundos; in eum ejus sunt incapaces, eamque rident et subsannant, iuxta illud Christi: « Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne forte

contereant eas pedibus suis, et conversi dirum pant vos, » *Matth.* vii, 6. Hi sensus non sunt improbabiles, nec huic loco incongrui.

3. IMPIUS, CUM IN PROFUNDUM VENERIT PECCATORUM, CONTEMNIT: SED SEQUITUR EUM IGNOMINIA ET OPPROBRIUM. — Hebraice, cum venit impius, venit etiam contemptus, et cum ignominia (Pagninus, cum viro ignominioso (1)) venit opprobrium; Aquila, Symmachus et Theodotus, in veniendo impius venit contemptus; Chaldaeus, quando venit impius in stultitia, venit et in ignominia et in opprobrio; Syrus, venit super eum stultitia et opprobrium et calumnia; Septuaginta consonant cum Vulgata; habent enim, quando venerit impius in profundum malorum, contemnit; supervenit autem et innotatio et opprobrium. Igitur in profundum peccatorum, non est in Hebraeo, sed illud subaudierunt et suppleverunt Septuaginta et Noster. Tale enim continetur in voce impius. Impius enim sic nimitur in actu perfecto, sive completo. Igitur impius vocatur, qui non semel vel iterum ex infirmitate vel ignorantia in peccatum lapsus est, sed qui assidue ex malitia et impietate peccat, ut jam peccati callum obdixerit, qui sane in peccatorum profundum devenit.

Jam varii varie explicant: *primo*, ex Hebraeo Aben-Ezra: Cum impius, inquit, in lucem erigit, simul eum eo accedit contemptus, quo alios ludibrio habet: atque illis despicendis opprobrium, quo illos appetit, simul aderit. Sensus autem est, ex contemptu opprobrium oriri, quemadmodum flagitium est ansa flagitii. Et R. Levi: Adveniente seculo, inquit, simul etiam contemptus adest; solenne enim illi est, ut alios foveat. Preter contemptum vero et ignominiam, qua is notatur ob foedas ignominiosasque actiones, ceteris eadem contumeliosa affingit: maculas enim et probra, quibus ipse laborat, ceteris etiam iniuri curat.

Sic quoque explicant Jansenius, Cajetanus, Baynus, q. d. Impius viros probos contemnit, eosque ignominia et probro afficit, obiciens et affligens eis crimina, quibus ipse obnoxius tenetur, ut scelerum et infamiae habeat socios, quibus se legat et tueatur. Unde Nazianzenus in *Lambic. Despectio*, ad *Steturum*, ait impios satagere suam peccati scabiem aliis affricare, « ut criminum plurimos socios habentes labes obtineant suas. » Et in *orat.* 28: « Omnes impii, inquit, facile adducunt, ut vita sua de aliis partim suscipiant, partim loquantur. »

Verum nostrae versionis Vulgate et Septuaginta clarus planusque est sensus, q. d. Impius quotidie crescens in impietate, unaqueque alteri ac majorem minori assidue accumulans, tandem in profundum impietatis barathrum dilabitur; quo

(1) Melius cum ignominia, id est, torpore factis. Abstractum pro concreto. In priori membro Vulgatus cum Septuaginta legit  $\text{כְּבִיזָה}$  una voce, ab  $\text{כָּבַד}$ , profundum.

cum dilapsus est, jam contemnit omnia monita et monitores, omnia scelerata et probra, omnem ingenitiam et pudorem (unde S. Athanasius, serm. 4 *Contra Arianos*, in contemnit explicat pudorem exiit), omnia damna et pericula, omnia jura divina et humana, omnia sacra et profana, adeoque omnes caelites et Angelos ipsunquae Deum, cujus tandem providentiam, imo essentiam et existentiam negat, iuxta illud *Psal.* xiii, vers. 1: « Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. » Unde Hugo explicat: « Contemnit, inquit, conscientiam; » Lyranus: « Contemnit supplicia; rursus, contemnit omnem correptionem, veniam omnemque medicinam. Sed sequitur eum ignominia et opprobrium, » quo ob assidua scelerata fit infamis, imo dedecus ac probum oculi et terrae; hominum et Angelorum, ac tandem fit pabulum gehennae, aeternumque demonum ludibrium. Porro impius omnia iam dicta contemnit, tum quia peccatis excoecatus non videt, nec aestimat damna sibi ex peccato imminentia; tum quia peccati dulcedine illectus totus in illud rapitur. Itaque ut liberius et suavius peccet, motum cuiuslibet mali, qui eum a peccato revocare posset, abjicit, repellit et contemnit. Profundum ergo peccatorum, in quod se praecipitat, causa est contemptus.

Quaerens, quodnam est hoc profundum peccatorum, quod impium adigit in contemptum, inde quo in opprobrium et exitium? Varii varie assignant: ex omnibus variorum expositionibus ordine dispositis, gradus hujus profundi et barathri construam ex verbis et mente Patrum.

*Primo* ergo, S. Chrysostomus per profundum accipit peccandi consuetudinem: haec enim consuetudo necessitatem quamdam peccandi affert, qua fit ut homo quasi impos sui rapiatur in suas concupiscentias, quibus ultro se totum mancipavit: quo fit ut omnia, quae eum a peccato avocare possent, spernat et contemnat: perinde ac porci luto se obruentes et opplentes contemnunt omnem nitorem et puritatem, imo luto et sordibus se oblectant et pascunt. Audi S. Chrysostomum, epist. ad *Theodor.*, qua eum lapsam in spem veniae strigit, si caveat relapsum: « Tantum, ait, ne relabaris, ne exsindas spes amplas, ne in te admittas, quo impis accidunt. Nunquam enim peccatorum quamlibet exuberans copia in desperationem conjicere solita fuit, sed cum illis impiam habere animam. Propterea Salomon non dixit simpliciter: Quisquis venit in profundum malorum, contemnit; sed nominatim, inquit, impius: quia illorum tantum est ille morbus, postquam in profundum malorum descenderunt. Et hoc est quod non permittit eos respicere, neque eo reverti unde exiderant. Nam flagitiosa desperatio perinde atque collarium incumbit in animae cervicem, et compellens oculos in terram demittere prohibet, ne ad Dominum suum suspiciat. » Audi eundem, homil. 22 in *Genes.*:

« Impius, cum in profundum ceciderit malorum, contemnit; grave enim, grave est, dilecti, capi laqueis diaboli: anima enim postea quasi in rebus comprehensa trahitur, et sicut sus in fuffi volubatro immergitur, sic et ista a mala consuetudine obruta ne sentit quidem peccatorum storum foretorem. » Consuetudo enim est quasi locus in quo suavit peccator recumbit et indormit, ut nihil aliud gustare, vel sentire videatur: imo est quasi centrum, in quo plane conquiescit et affixus est. Unde pro profundum graece est *βῆθος*, id est ima profunditas, quae in circulo, puta in globo terra, est ipsum centrum. *Primo* ergo, sicut omnia gravia naturaliter feruntur in centrum, sic peccator peccato assuetus et imbutus quasi naturali impetu rapitur ad peccatum; *secundo*, sicut lapis in centro suo conquiescit, sic et peccator conquiescit in peccati illecebra; *tertio*, sicut centrum detinet res sibi affixas, sic consuetudo peccati detinet peccatorem, ut in eo perseveret usque ad mortem et gehennam; *quarto*, sicut res in centro nullum sentiunt motum vel impulsum: sic peccator peccato assuetus nullum sentit conscientiae remorsum, vel gratiae excitantis impulsum. Consuetudo ergo est primus gradus peccatorum, quibus gradatim ad immum profundi barathrique descenditur. Sequitur secundus.

*Secundo*, S. Athanasius, serm. 4 *Contra Arianos*, per profundum accipit caecitatem mentis, quae ex consuetudine peccandi sequitur. Peccatum enim iteratum continue magis magicis excoecat mentem, ut non videat quod agit, nec malum a bono discernat, imo malum quod agit aestimat esse bonum. Quare omnia bonum illi contrarium contemnit, iuxta illud *Ephes.* cap. iv: « Ut jam non ambuletis, sicut et Gentes ambulavit in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam quae est in illis propter caecitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnium, in avaritiam, » etc.

*Tertio*, alii per profundum accipiunt obdurationem, puta impudentiam, impenitentiam, contumaciam et pertinaciam peccandi. Peccator enim consuetudine peccati excoecatus in peccando obduratur, atque impudens, contumax et pertinax, unde omnia alia rident et contemnit. Ita S. Isidorus, lib. I *Sent.* cap. xiv: « Perpetrare flagitium aliquid, inquit, mors animae est; contemnere penitentiam, et permanere in culpa, descendere in infernum post mortem est. Ergo peccare ad mortem pertinet, desperare vero in infernum descendere. Unde et Scriptura ait: Impius, dum in profundum malorum venerit, contemnit. » Et *Gratianus*, *De Penit.* dist. 1, can. 60, ex S. Gregorio: « Voluissent iniqui, si potuissent, sine fine vivere ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam

ergo iustitiam iudicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. » Subdit deinde Gratianus : « Hinc Christus ex persona membrorum ait : Non absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Quod S. Augustinus exponit dicens : Puteus est humane iniquitatis profunditas, in quem si cecideris, non claudet super te os suum, si tu non clauderis os tuum; confitere ergo, et dic : De profundis clamavi ad te, Domine; et evades. Claudet super illum Dominus, qui in profundo contemnit, a quo mortuo, velut ab eo qui non sit, perit confessio. Hinc idem Propheta ait : Introite portas eius in confessione; ostendens ad portas misericordie non nisi per confessionem peccati aliquem posse peringere. » Hinc et S. Hieronymus in *Ezech. I*, per *profundum peccatorum accipit* amissionem conscientie et synderesis : « Conscientiam, ait, certum precipitari apud quosdam, et suum locum amittere, iuxta id quod scriptum est : Impius, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit; » contumacia ergo est tertius peccatorum gradus. Sequitur quartus.

*Quarto*, S. Bernardus, *De Gradibus humilitatis*, per *profundum accipit* dei contemptum, quem parit obduratio et contumacia. Cor enim durum nec homines timet, nec Deum reveretur. Sic enim ait, *gradus 11* : « Post decimum itaque gradum, qui rebellio dicitur est, expulsi vel egressus de monasterio statim excipiuntur ab undecimo. Et nunc ingreditur vias que videntur hominibus bonas, quarum finis (nisi forte Deus eas illi sepiert) demergit eum in profundum inferni, id est in contemptum Dei. Impius siquidem, cum venerit in profundum malorum, contemnit. » Sic et Hugo multa conglomerans : « Profundum peccatorum, ait, dici potest contumacia, pertinacia, defensio, iactantia, desperatio, presumptio, execratio intellectus, corruptio affectus. » Ubi nota quatuor hujus profundi dimensiones. Altitudo enim est iactantia, cum quis de malefactis suis quasi benefactis gloriabundus exsultat; huic opposita profunditas est desperatio venie et salutis; longitudo est consuetudo peccandi, latitudo est presumptio de dei misericordia.

*Quinto*, Beda et S. Cesarius Arelatensis, hom. 13 *De Patientia*, per *profundum accipiunt* desperationem, quam parit obduratio Deique contemptus. Audi Bedam : « Qui longis peccatorum tenebris involutus semel de luce desperat, jam ex desperatione contemnit, id est, passim sibi peccandi frena relaxat; sed talis opprobrium future damnationis nulla ratione evadit, quem ab usu suae iniquitatis nulla divini timoris memoria cohibuit. » Audi S. Cesarium : « De multitudine, ait, peccatorum desperatio nascitur, et ex desperatione absque ulla reverentia peccatorum frena laxantur, et impletur illud quod scriptum est : Impius, cum venerit in profundum peccatorum,

contemnit. » Audi et Auctorem *Imperfecti*, hom. 40 in *Matth.* : « Homo, qui grave facit peccatum, dum non habet amplius quod jam speret in Deum, peiora committit, dicens Salomone : Cum venerit impius in profundum malorum, contemnit. Sicut enim infirmus, donec mediocriter labat, aliquam passionem, et sperat se posse curari, servat se a nocivis esculis; si autem intellexerit insanabilem se esse, jam non sibi parit : sic et homo donec mediocriter peccat, et sperat salutem, quantumcumque potest, observat se a malo; si autem graviter peccando ceperit desperare, jam nihil debuit facere, quasi qui jam peccatis suis vincit iudicium Dei : nascens miser, quia sicut in bono gradus sunt gloriarum, et unusquisque secundum mensuram mali sui accipit gloriam; sic et in malo gradus sunt penarum, et unusquisque secundum mensuram mali sui accipit penam. Sicut enim infinitus est Deus in retributione bonorum, sic infinitus est in retributione malorum. »

*Sextum* et imum profundi peccatorum, est ipse infernus vitaeque infernalis quam parit desperatio. Desperati enim agunt vitam infernalem, vivuntque quasi demones et damnati; imo subinde vident demones, ac locum sibi cum eis in gehenna destinatum, uti vidit Theodoretus, Chrysostomus, et Ieronimus ille apud S. Gregorium, lib. IV *Dialog.* xxxvii. Hi tandem quasi perdit contemnit omnia, pejerant, blasphemant et abominanda perpetrant.

Collige jam hosce gradus peccatorum, et ex his scalam, qua recta descenditur in tartara, construe; nimirum peccator ex peccato descendit in primum profundi gradum, qui est consuetudo peccandi; ex eo descendit in secundum, qui est cecitas mentis; ex eo in tertium, qui est contumacia; ex eo in quartum, qui est dei contemptus; ex eo in quintum, qui est desperatio; ex eo in sextum, qui est gehenna et vita gehennalis. Similibus, sed contrariis virtutum gradibus scandunt iusti in altum, puta in summum colorum : ex una enim virtute ascenditur ad aliam, inde in earum consuetudinem, inde in animi obfirmationem, inde in certam salutis fiduciam, inde in constantem Dei amorem, inde in perseverantiam iugemque unionem cum Deo, inde ad Deum Deique fruitionem in caelum, iuxta illud : « Ibi est virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. » *Psal. lxxxiii*, 8.

4. AQUA PROFUNDA VERBA EX ORE VIRI : ET TORRENS REDUNDANS FONTS SAPIENTIE. — Pro *torrens* hebraice est נַחַל *nachal*, quod tam fluvium quam torrentem significat : male aliqui stagnum vertunt. Aquila vertit, פְּרִי, id est, *vena*. Pro *redundans* hebraice est נִבְּרַח *nabea*, quod Septuaginta vertunt ἀναρδαν, id est *scaturit*. In multis codicibus est ἀναρδαν, id est *prostitens*; Theodotus, ἀναρδαν, id est *redundans*; Aquila et Symmachus, ἀναρδαν, id est *erumpens*. Unde Chaldaeus vertit,

*aqua profunda ex ore viri, torrens redundans fons sapientiae*; Septuaginta Romani et Complutenses, *aqua profunda sermo in corde viri; flumen autem scaturiens et fons vite*. Verum pro *vita* cum Hebraeis, Vulgata, Chaldaeo, Aquila, Symmacho, Theodotus, et ceteris omnibus legendum videtur *sapientia*. Unde Auctor *Catena Graecorum* sic ex Septuaginta clare legit et explicat : « Doctrina, que in iusti viri corde continetur, est veluti aqua profunda; eadem est quasi fluvius scaturiens ac fons vite. Cognitio, qualis mente comprehendi non potest, latet in pectore viri secundum Deum ambulantis, que hoc loco fons vite, alibi fluvius pacis appellatur. Aut que dicit, huc tendunt : Quando quispiam sapientie verbum in cordis fundo usque custodit, neque cum aliquo illud communicat, efficitur in eo fluvius scaturiens, hoc est magnus et profundus. Potest autem fons vite de uno nonnunquam verbo fluvium producere. » Aliter : « Fluvius scaturiens ejusmodi est, qui terram subiectam irrigat, largeque inebriat, et ad fertilitatem et ubertatem preparat. »

Hinc liquet per *sermonem* hic accipi prudentem et sapientem; nam, ut ait R. Salomon, hebraicum אִישׁ מִשְׁכִּיל, id est *vir*, in Scriptura fortem strenuumque significat, atque ob prudentiam et fortitudinem magnum et excellentem (1).

Nonnulli ex versione Septuaginta Romani et Complutensium, censent hic verba sapientium comparari aquis triplicibus, scilicet *primo*, aquis profundis fluminis; *secundo*, torrenti redundanti; *tertio*, fonti scaturienti, *g. d.* Sapientium alius orationem uberem et affluentem fluminis instar ingentis effundit, sicut olim S. Hieronymus, S. Ilierium « eloquentie Christiane Rhodanum » appellavit; alius tanquam rivus sermonem volvit; aliter demum velut fons verba emittit. Sic Plutarchus in *Pericle* Demostheni orationis flumen tribuit, Isocrati rivum accomodat, Eschini fontem adscribit. Sic inter Christianos S. Chrysostomus quasi flumen uberem et copiosam orationem volvit, Nazianzenis eloquentia rivum imitatur, ac demum Basilii sermo fontem perenniter fluentem representat.

Rursus unus idemque sapiens pro varietate loci, temporis et personarum nunc se effundat copiose et graviter ut flumen, nunc temperate ut torrens, nunc submisse ut fons. De quo S. Augustinus, lib. IV *De Doctrina Christiana*, cap. xix : « Et tamen, ait, cum doctor debeat rerum dieter esse magnarum, non semper debet eas granditer dicere, sed submisse cum aliquid docetur, temperate, cum aliquid vituperatur sive laudatur; cum vero aliquid agendum est, et tamen ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea que magna sunt, dicenda sunt granditer, et ad seducendos animos congruenter. » Si secus fiat, dicere licebit quod de Anaximene pe-

<sup>1</sup> ex altero hemistichio colligere, prout est

rorante dixit Theocritus, teste Stoboeo, *serm. 34* : « Incepit verborum flumen, mentis gutta. »

Verum quia Hebraea, Chaldaica, Aquila, Symmachus, Theodotus, Cathericus omnes, quin et Septuaginta in *Catena Graecorum*, bimbrem faciunt hanc sententiam, uti paulo ante ostendi, et pro *fons vite* habent *fons sapientiae*, ac tollunt *et, quod* Septuaginta Romani et Complutenses interieciunt inter *flumen*, sive *torrens et fons*; hinc genuinus sensus est, ut posterius hemistichium explicet prius, ejusque causam et originem assignet, *g. d.* Verba manantia ex ore sapientis sunt sicut aqua profunda fluminis vel torrentis : quia cor sapientis est sicut vena, vel fons sapientiae profundus, qui jugiter manat sapientiam, sicut fons jugiter effundit aquam, qua sensum collecta efficit torrentem vel fluvium. Causa enim cur verba sapientis sint copiosa et profunda, est quia manant ex corde profunde ac sapientie pleno, *g. d.* Mens profunda sapientis profundam erogat sapientiam instar fontis profundi, copiosi et perennis. Sicut enim in Alpibus videmus fontis scaturire aquas largas, easisque collectis oriri Rhenum, Cenum, Rhodanum aliosque fluvios; ac simili modo ex Parnasso monte oriri Bactrum, Chospem, Araxem, Tanaim et Indum, ait Aristoteles, lib. I *Meteor.* cap. I (sane in Alpibus videt altissimis montibus collectas aquas, in subiectas valles magna copia et fragore ruere, illicoque efficitur torrentes et fluvios ingentes, qui homines, equos et currus sorbeant, praesentim in hieme) : sic pariter mans sapientis est vena et fons perennis jugiter ebulliens sermones sapientes, qui proinde copiosi sunt et profundi, ut jam torrentes et flumina sapientiae esse videantur. Ita Salomonem explicat Siracides, *Eccli. xxi*, 16 : « Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, et consilium illius sicut fons vite permanet. »

Igitur verba sapientis et sapientie comparantur aquis profundis fluvii vel torrentis : cor vero, sive mens, comparatur venae sive fonti, ex quo haec aquae scaturiunt.

*Primo*, quia sicut fluvius manat ex fonte, sic verba oris ex corde. Hinc fons dicitur a fundendo, ait Festus, quod fundat aquas. Dicitur et vena. Sicut enim vena est sanguinis conceptaculum, diciturque a veniendo, quod ex ea veniat, et per eam permeat sanguis in totum corpus : sic et ex fonte velut vena venit aqua, et in terras camposque permeat. Graece vena dicitur *πηγή* a *πηγναι*, id est redundare, quod sanguine vel aquis plena sit et redundat. Quod ergo vena sive fons est fluvio, hoc cor est ori et verbis, scilicet eorum origo et scaturigo, *g. d.* Verba sapientis non in ore, sed in corde nascuntur, quia ex imo cordis manant, adeoque ex abundantia et profunditate cordis profuunt instar fluminis ex fonte scaturientis et jugiter fluentis. *Secundo*, sicut fons nunquam arecit, sed perennes fundit aquas : sic cor sapientis perennes fundit sapientiae doctrinas,

Ita Aben-Ezra: « Verba sapientis, inquit, sunt velut aqua profunda, quæ pellicida sunt; qua ratione enim torrens assidue aquas ebullit, ita scaturigo sapientie in viro sapiente exhauriri nequit. » Tertio, sicut aquæ fluvii, vel torrentis, ex jugi fonte manantes sunt copiosæ, ideoque profunda: sic et dogmata sapientis manantia ex corde sapienti sunt copiosa et profunda. Unde Tigurina vertit, *verba oris viri velut aqua profunda sunt, et fons sapientia velut uberrimum flumen*; id est, inquit Vatablus, *ut aqua profunda exhauriri non possunt, sic nec viri sapientis verba unquam deficiunt*. Imo, ut ait R. Levi, eorum vim finemque non facile est assequi, nec eorum arcana penetrare. Quarto, sicut ex fonte quantum aquæ effluit, tantumdem aliunde affluit: sic et cor sapientis quo plura eruat, eo plura percipit: quo enim plura ex illo profuunt, eo plura supersunt quæ ex illo effluere possint, ait R. Levi. Quinto, fons suam concham primo implet, deinde redundantem aquam diffundit, alisque communicat: sic et sapiens primo mentem suam, deinde aliorum sapientia imbut, juxta illud S. Bernardi: « Doctor sit concha, non canalis, » qui nihil aquæ retinet, sed totum quod recipit, effundit. Sexto, sicut fluvius superne patulas habet aquas, quas canibus communicat, inferne vero profundas, quas nulli nisi urinatores penetrant: sic et sapiens vulgaris omnibus communicat, arcana vero sapientie paucis revelat, ut cum S. Paulo parvulis det lac ad polandum, et sapientibus sapientiam loquatur in mysterio: ita Beda. Septimo, sicut aquæ ex venis et fontibus manantes per oculos viarum flexus, meatus et meandros percolantur, ut suam amaritudinem, turbationem, iram, inconcinnitatem deponant, sicutque suavia, grata, prudentia, etc. Insuper, sicut aquæ fontium, dum per venas auri, argenti, ferri, vitrioli, sulphuris, etc., transeunt, horum mineralium vim imbibunt, quo fit ut calculo, hydropi, inflammationibus, etc., medeantur, ut faciunt fontes Puteolani, Spadani, Aquenses: sic pariter verba sapientum per venas meditationum de humilitate, patientia, mansuetudine, charitate, fervore transeuntia, harum virtutum vim sugunt, funtque humilia, patientia, mansueta, benevola, fervida. Octavo, sicut fons ex orificio exiguo leniter modicum fundit aquam, quæ continua effusione augescens crescit in flumen: sic pariter sapientia doctor leniter per modica præcepta docet sapientiam, ne eorum multitudine et pondere rudem discipulum obruat, sed sensim plura et plura illi instillant, tandem omni sapientia instar fluminis eum imbut et replet. Idipsum elegantissimè multitudine pluvie vehementis sive imbris, ac lenis sive stillicidii representat S. Gregorius Na-

zianzenus, orat. 45 *De plaga grandinis*: vehementis enim nimbus segetes sternit, et illico desiccit, lenis vero segetes fovet et perdurat: idem facit doctrina nimia et modica, sive placida et lenis.

5. ACCIPERE PERSONAM IMPII NON EST BONUM (id est, est pessimum et nefarium, ait R. Levi; et invidiosus), UT DECLINES A VERITATE JUDICII. — Hebraice, *ad deiciendum justum in judicio*; Chaldaeus, *neque declinare a judicio contra justum*; Syrus, *neque etiam pervertere judicium in justum*; Septuaginta, *admirari personam impij non bonum, neque sanctum declinare justum in judicio*. Pro accipere hebraice est *נָשָׂא שֵׁט*, quod Cajetanus vertit, *elevare personam*; Septuaginta, *mirari vel suspicere*; Aquila, Symmachus, Theodotion, *sumere*; Noster, *accipere*; alii, *ferre vel portare*. Omnia eodem redeunt. Qui enim personam impij, quia potens, vel dives, vel amicus, vel magnificus est, reveretur, suspicit, elevat et admiratur, ille illius litem et causam accipit et elevat quasi æquiorum et meliorem, ac vice versa causam justis contra impij justè litigantibus in judicio deprimit et condemnat. Unde R. Levi: « Nefarium est, inquit, ut criminosis ratio habeatur in judicio, quo insons judicio perturbato causa cadat; si enim iudex scelestum in judicio honore prosequatur, justo os obstrui contingit, ne opportuna respondeat, cum sibi persuadeat, iudicis animum parti secum in judicio adversanti favere. »

Grave est hoc scelus, primo, quia justitiam, quæ basis est reipublica, evertit. Unde S. Ambrosius super *Malachiam*: « Inter omnia, ait, peccata sacerdotum illud est maximum, quod non causas, sed personas considerant, et despecto justo paupere injustos divites honorant. » Et S. Bernardus, lib. II *De Considerat. ad Eugenium Pontif.*: « Non parvi, inquit, le reum peccati existimes, si facies peccatorum sumis, et non potius causas iudicis meritorum; est enim vitium, cuius si te immunem sentis, inter omnes quos novi ex his qui cathedras ascenderunt, sedebis, me iudice, solitarius, quia veraciter singulariterque levasti te supra te. Hujus callidissime vulpecule magnorum neminem comperi satis cavisse versutus. »

Secundo, quia Dei et Christi, cuius iudex vicarius est et officium gerit, iudicium pervertit: Deus enim et Christus omnibus tam pauperibus quam divitibus æquum et æqualem se exhibet. « Et cœlestem gratiam, ait S. Cyprianus, lib. I, *epist. 4*, æqualiter omnibus dividit sine sexus varietate, sine annorum discrimine, sine acceptione personæ. » Quare, ut ait S. Hieronymus super *Amos*: « Quicumque consanguinitat. vel amicitia, vel e converso hostili odio vel inimicitia in judicando ducitur, pervertit iudicium Christi. » Ille enim summus est iudex, ac proinde ad eum pertinet omne iudicium; quare ceteri iudices, cum vice Christi iudicant, si justitiam pervertant, Christi iudicium pervertunt.

Tertio, quia grave dant scandalum toti reipublice, faciuntque ut homines avaritiæ et injustitiæ studeant, quam vident ab eis honorari et præponi, potius quam modestiæ et justitiæ, quam vident ab eis postpositi et deprimi. Vide dicta *Jacobi II*, vers. 4.

6. LABIA STULTI MISCENT SE RIXIS, ET OS EJUS JURIA PROVOCAT. — Hebraice, *labia stulti veniunt in litem* (vel cum lite), et os ejus ad percussiones vocabit; Aquila, *ducunt eum in litem*; Symmachus, *in rixam*; Septuaginta, *labia stulti ducunt eum in malum, et os ejus audax mortem invocat*. Hebræum *רִיב* significat primo, litem; secundo, rixam; tertio, iudicium. Unde Chaldaeus vertit, *labia stulti adducunt eum in iudicium, et os ejus perducit eum ad rixam*; et Syrus, *labia stulti ingrediuntur iudicium, et os ejus adducit eum ad mortem, q. d. Stultus suo imprudenti, proci, maledico sermone, suis probris, calumniis et sannis efficit ut ab eo quem læsit vocetur in jus, ibique a iudice condemnetur ad mulctam, et subinde ad mortem.*

Nostræ Vulgatæ versio, quæ optime vim hebraice phrasæ expressit, sensus est, q. d. Stultus sicuti rixam et rixantes audiat, illico accurrit ex levitate, curiositate et stultitia, hisque se immiscet specie quidem, ut pacem inter eos conciliet, revera autem ut rixas adaugeat, easque in se concitet. Cum enim imprudens sit, facile aliquid effudit, quod rixantes pungat, et rixam acuat. Rursum cum affectibus ducatur, facile in alteram partem inclinat, ejusque causam fovet; quare adversam contra se provocat. Insuper cum ipse petulans sit, contentiosus et rixosus, rixis gaudet, easque vel suscitât, vel suscitatas promovet, ut tandem vix sopiri queant. Magnæ enim sapientiæ et dexteritatis est, lites et rixas sedare. Ad hoc enim opus est ut utramque partem, tam offendentem quam offensam, æqua et congrua ratione mitiget et componat; quod difficile est. Nam si offensæ jus tueatur, et offendentem injuriæ arguat, eam magis irritabit. Rursum difficile est ita inter duos medium intercedere, ut in alterutram partem non inclinet, sed viri prudentis est. Sive videmus homines temerarios, audaces et pugnaces ad rixas convolare, sicut musca convolat ad mel, itaque eas accendere cum sua æque ac aliorum strage.

« Stultus, inquit Lyranus, rixantes ad majora jurgia incitat, sicut ille qui canes incitat ad mordendum se invicem. » Pro jurgia enim hebraice est *מַחֲלָמוֹר* *mahalmor*, id est plagas, percussuras, pulsationes, sicut faber eudendo malleo pulsât incudem. Unde Vatablus vertit, *os ejus ad pugnas provocat*; R. Salomon vertit, *verbera*: « Aben-Ezra, inquit, *opifex est sibi ut verberetur*; » et S. Hieronymus, *ad litem adducitur propter percussiones et verbera, hoc est, quod clamaverit ad socium percutiendum plagisque afflictiendum. Quare os ejus erit contritio, id est, sibi*

ipsi (1) exitium accerses. » Et R. Levi: « Stulti os lites dissidiisque serit, cum non nisi calumniis contumeliasque effundat, idemque plagas gravissimas verbera in se concitat, quibus vir perdat, » queque cædes et mortem, ut vertunt Septuaginta, tam sibi quam aliis afferant.

7. OS STULTI, CONTRITIO EJUS; ET LABIA IPSIUS, RUINA ANIMÆ EJUS. — Pro contritio hebraice est *מַחֲרָה* *mehatta*, quod tam terrorem quam contritionem et contractionem significat. Unde Aquila, Symmachus et Theodotion vertunt, *מַחֲרָה*, id est pavore; Chaldaeus, *formido*; Tigurina, *os stulti sibi terrori est*, id est terribiles angores, pericula et pœnas sibi creat. Pro ruina hebraice est *מִוֶּקֶץ* *mohek*, id est laqueus, ut vertunt Septuaginta, Chaldaeus, Pagninus, Vatablus et alii; Syrus, *allaqueat seipsum labiis suis*; Aquila, Symmachus et Theodotion vertunt *מַחֲרָה*, id est offendiculum, quale est scandalum in muscipula, quod dum mus evertit incaute, seipsum in muscipula collidit et suffocat. Similiter facit stultus loquax. Coheret hic versus cum præcedenti, eumque explicat, q. d. Os stulti jurgia, et, ut hebraice est, verbera tam sibi quam aliis provocat: quo fit ut ipse oro suo, id est, ob verba stultus ac rixosa oris sui vapulet et conteratur, ac ob ea quæ temere et inconsulte labiis suis effudit, ruinam « anime, » id est vite; vel « anime, » id est sibi ipsi, pareat ac laqueum, quo capiatur et stranguletur tum in corpore, tum in anima, juxta illud: « Os quod mentitur, occidit animam. » Ita Lyranus.

Aliter Cajetanus: « Os stulti, inquit, est contritio, id est contrit, frangit et elidit seipsum, dum, ut sua falsa et stultiloquia quæ effudit, tueatur, cogitur contradictoria asserere; si ergo ipse sese illaqueat et implicat, quibus se expedire nequit. Huic gnome similis est illa, *Psalm. xiii*, 3: « Contritio et infelicitas in viis eorum, » activa scilicet, q. d. Impii toti sunt, ut alios secum conerant, et infelicitate sine calamitate afficiant; quia « viam pacis non cognoverunt, » quia scilicet oderunt viam pacificam, quietam et pacatam. Et illa illi cap. *xiv*, 3: « In ore stulti virga superbia. » Et illa cap. *xvii*, 11: « Semper jurgia querit malus; angelus autem crudelis mittitur contra eum. »

8. VERBA BILINGUIS QUASI SIMPLICIA; ET IPSA PERVENIUNT USQUE AD ANTERIORA VENTRIS. — Pro bilinguis hebraice est *נִרְגָן* *nirgan*, id est susurrans, adulatoris, murmuratoris, qui palam laudat, occulte detrahit seminaturque discordias, delatoris et infamatoris, qui infamiam ab uno ad alium deferit. Pro simplicia hebraice est *מַלְלָה* *mallalah*, quod nomen non reperitur nisi hie et cap. *xxvi*, 22, ubi Septuaginta vertunt, *sermones assentatorum* (Græce *εὐχολογοί*), id est caudatorum, cauda blandientium) molles; hæ vero percipiunt anteriora viscerum; Aquila, *verba susurrans decipit*; Symmachus, *verba murmuratoris obiter dicit*; Theodo-

(1) Recte, ut pœna stulti significetur.

tion, verba *astuti quasi simplicia*; R. Emmanuel, quasi blanda.

Recentiores פלחמים *mithalamim* censent per metathesin positum פלחמים כהרמיהו *mithalamim*. Unde Cajetanus, Pagninus et alii vertunt, verba susurronis tanquam percussiones, vel tanquam vulnera (חלח *halam* enim significat percutere, conquassare, contundere); R. Salomon, sunt quasi contusiones et verbera; Vatablus, sunt tanquam vulneratorum, id est, eorum qui simulat se percussos et vulneratos, hoc est, sunt lenia ut decipiunt; Pagninus ex Arabica lingua vertit, verba bilinguis quasi absorpta vel occulta. Sic et Aben-Ezra: sunt, inquit, veluti verba abscondita et involuta, verba, tanquam, fraudantis; Chaldeus, verba susurronis dolore afficiunt illum, et debucunt illum in profundum inferni; Syrus, verba malefeci deficiunt illum in malum; eadem illum deducunt ad mansiones inferorum. Jam (1)

Primo, R. Levi *nirgan*, id est bilinguem, vertens delatorem, sic explicat: Delatoris sermo, qui gratis conqueritur, nec injuriam passus lamentatur, compactus est ad normam eorum qui se vulneratos et mancos præ se ferunt, quo facilius aliorum pietatem in se excitent. Hæc ergo verba fita gravia sunt eis, in quos pronuntiantur, et animi recondita penetrat, mensque ob illa vehementer angatur: gravissimum enim est, si turpe aliquid dixisse fecisseque insimuletur, cujus prorsus inculpatus et nescius sit.

Secundo, Septuaginta pro *nirgan*, id est bilinguis, vertunt *κατακλιμα*, id est caudatorum, hoc est versutorum, quales sunt adulatores. Auctor *Catena Græc.* putat alludi ad vulpes, que per *κατακλιμα*, id est caudam, tegunt *κατακλιμα*, id est faciem, ut fingant se dormire, eaque ratione ad se simplices alliciant res, eaque capiant et devorent: similia enim fingunt versuti et adulatores, ut alios comprehendant et perdant. Alii putant alludi ad canes, qui cauda blandiuntur heris, ut escam emendicent: sic enim blandiuntur divitibus adulatores, ut opes emungant. Alii censent alludi ad simias caudatas, que proinde cercopitheci vocantur, juxta illud Martialis:

Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

Sicut enim simia imitantur gestus hominum, sic adulatores imitantur gestus et mores amicorum, teste Plutareho, lib. *De Differentia adulatoris et amici*.

Nolus est apologus simia *Æsopica*, que cum ob suas strophas mimicosque gestus mulcata esset cauda, ut suum hoc probrum obtegeret, ino sturp dedecus in publicum decus commutare, versute conata est persuadere ceteris animalibus, ut sibi caudam velut inutile et indecens corporis

(1) Scholæus, verba susurronis sunt sicut cupiditas, ab avido percipiuntur, quam deglutiantur esca mollis. Non male.

pondus rescarent, unde cercopizare idem est quod adulari. Ita Cælius, lib. XI, cap. xxxiii. Hinc proverbium: «Cercopium cæcus,» pro conventu versutorum et impostorum. Narrat enim Cercopizæ quosdam in Epheso fuisse nota fraudulentos viros, qui suis dolis conati sunt Jovi imponere, unde et Perperi sunt dicti, quos proinde deprehensos Melampygos, id est Hercules, ultor suspendit, capitibus deorsum demissis.

Verba adulatoris sunt simplicia, id est videntur candida, vera, sincera, blanda et lenia, instar olei; sed vehunt secum venenum, quod cito penetrat intima corporis et cordis. Tradunt enim medici venenum oleo inditum, olei lenitate et lubricitate vectum, illico in intima corporis pervadere. Vere S. Augustinus in *Psal.* lxx: «Falsa, ait, laus adulatoris et simulata dilectio rigidas mentes a rigore veritatis emollit.»

Rursus verba adulatoris sunt quasi vulnera, id est non vere vulnera, sed videntur quasi esse vulnera, quia adulator, ut se fingat amicum, libertatem induit, libereque subinde carpit vitia amici cui adulatur, sed hypocritice, ideoque mollior et enerviter carpit. Ita Plutarehus loco jam citato: «Nunquam, inquit, magis adulatur, quam cum videntur objurgare, verberare et libere loqui.» Et rursus: «Sicut pulvinaria mulierum, quando videntur reniti et obistere capitibus, cedunt magis et accommodant sese: sic libertas adulatoris tunet quidem, sed in se recipi inclinantur.»

Tertio, optime per *nirgan*, id est bilinguem, accipias detractorem et susurronem: hujus enim verba sunt quasi verbera et vulnera: quia iustitia, dum simpliciter dicuntur, videntur eorum destractiones leves esse livores, in quo videntur esse verba «percussorum,» quasi hæc amici vitia cor ipsorum percutiant, et compassione vulnerent: at ubi exaggerantur et amplificantur, menti audientium aculeum infingunt, qui deinde ab eis ruminatus et sepius consideratus, intima ventris, id est cordis et mentis, pervadit, ut amicum parvi facere incipiant, ac tandem fastidium et odio sequantur, q. d. Intimam ejus animam sauciati, lædit et pungit.

Rursus verba susurronis sunt «simplicia,» id est, videntur sincera, nuda, candida, ex candore et amore profecta; at malignitatem odii, infamiam et noxæ derivant in intima cordis. Dum enim fingunt se ex pietate et compassione narrare vitia proximi, dictis suis fidem conciliant, magisque eam mentis audientium infingunt ut is ea credat, et eam, cum defrahit, vilem et infamem aestimet; quare eorum verba, que videntur simplicia, revera sunt verbera et mallei, qui intima cordis verberant et contundunt: דרבות *halmat* enim est malleus; unde *mithalamim* sunt malleationes, sive percussiones et contusiones que malleo fiunt.

Audi S. Bernardum, serm. 24 in *Cantic.*: «Alii, inquit, quodam simulata verecundia furo con-

septam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas premitti alta suspiria, siestique quadam cum gravitate et tarditate, vultu mesto, demissis superciliis, et voce plangenti egredi maledictionem; et tanto quidem persuasiviores, quanto creditur ab his qui audiunt, corde *hærite*, et magis condolentis affectu, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo, quod diligo eum satis, et nunquam potui de hæc re corrigere eum.» Vide seq.

Salomon de more concinit *Siracides, Eccl.* xxviii, 15: «Susurro, inquit, et bilinguis maledictus; multos enim turbavit pacem habentes,» etc., ubi multis hoc vitium insecatur. Et cap. ii, 14: «Vobis duplici corde et labiis scelestis!» bilingues enim sunt bicordes instar perdicum Paphlagonia, que, teste Plinio, lib. XI, cap. xxxvii, duplex habent cor: simili enim modo susurrones unum cor habent in pectore, alterum in ore, dum aliud cogitant, aliud loquuntur: sic vicissim aliam habent linguam in presentia amici, aliam in absentia, dum presentem laudant, absentem vituperant. Vide utrobique dicta: illa enim hic non repeto, ne actum agam.

Pigritiam dicitur TIMOR: ANIMÆ AUTEM EFFEMINATUM ESURIENT. — Hic versus non est in Hebræo, nec in Latinis Complutensibus alisque nonnullis; exstat tamen in Romanis: transcriptus est ex Septuaginta, qui sequentem versum Hebræum ancipitem, ut dupliciter verti possit, duplici sententia expresserunt. Hebræum enim כתרפה *mitrapphe* et pigritum et eum qui medetur (ut vers. seq. vertunt Septuaginta) significat: alioqui hic versus in re et sensu consentit cum seq., ejusque videtur paraphrasis. Piger enim est mollis et dissolutus, qui proinde opera sua dissipat, ideoque ad egestatem et esuriam redigitur.

Sensus ergo est, q. d. Timor laboris consternat pigritum, eumque facit effeminatum, ut instar femine faciat horreatque laborem, ac seclerum otium: quare ob inertiam conciliat sibi pauperiem et esuriam. Unde Auctor *Catena Græc.*: «Vir, ait, qui voluntate et studio mulier est, virtutem quam animam nutrit nunquam assequetur.»

Pro effeminatorum græce est ἀδελφωσ, q. d. virorum feminarum, sive qui ex viris in feminas degenerant: androgyni enim sunt hermaphroditi, qui utrumque habent sexum femine et masculi, ut idem simul vir sit et mulier, ideoque semivir, effeminatus, mollis et pathicus; quales in Africa esse, qui dextram mammam habent virilem, sinistram muliebrem docet Plinius, lib. VII, cap. iii; unde tales monstra nature imo monstra fatalia appellat Cicero, lib. I *De Divinat.* Et S. Augustinus, lib. III *De Genes. ad litt.*, cap. xxi, refellens eos qui Adamum censent fuisse androgynum, ex eo quod ait Scriptura: Masculum et feminam fecit eos, sic ait: «Ne quisquam arbitretur ita fecerunt, ut in homine singulari uterque sexus exprimeretur, sicut interdum nascuntur quos Andro-

gynos vocant, ostendi se singularem numerum propter conjunctionis unitatem possuisse.» Piger ergo est androgynus; quia pigritia effeminat, et ex viro quasi feminam facit.

Nota hic comites et indices accedat, sive pigritia, esse timorem, molliem, effeminationem. Audi Aristotelem, lib. *De Virtutibus*: «Comitatur ignaviam mollietas, effeminatio, torpor, vite cupiditas. Subest etiam quedam timiditas, et contentiois detractio.» Unde et Jamblicus otium ita pingit: «Vir imbellis in habitu et veste muliebri pulvinari incumbens.» Idem Aristoteles in *Problem.* sect. III, *Quæst.* V et XXV, timoris causam dat frigus, quod et torporis est causa: unde videmus in hieme frigidus algere, tremere et torpere: ex adverso calor calidique spiritus sunt causa magnanimitatis, agilitatis et fervoris. Idem in *Physiognom.* cap. vi, timoris et torporis eadem dat signa: «Timidi signa, inquit, pilli molles; corpore inclinatus, non erectus; suræ sursum contractæ; circa faciem subpalpudii; oculi imbecilles, et nimium conviventes; et extrema corporis imbecilla, et crura parva; manus longæ et graciles; lumbi autem parvi et imbecilles; figura contenta in motibus; non temerarius, sed supinus et stupefacibilis; mos qui est in facie mobilis; mestus.»

Jam audi pigritiam et otii damna per exempla et similia. Sicut per rimam sentina aqua latenter infilrat et exerescit, donec navis per naufragum incuriam demergitur: ita ex otio atque ignavia cogitationes prævæ et concupiscentiæ multiplicentur, donec navis cordis eis succumbens in peccato periclitetur, ait S. Bernardus, serm. *De S. Andree*. Aves, que convivis apparentur, ut immove facile pinguescant, in obscuro continentur: ita sine ulla exercitatione jaecitibus, tumor pigram corpus invadit, et in superbiam tumens iners sagina succrescit, ait Seneca, *epist.* 121. Sicut aqua, que caret decursu, ac jacet in foveis, putrescit, ac humano usui aliena effluit, repleturque animalibus venenatis et noxiis: ita et corpus otii tæbe confectum concupiscentiarum carnalium parit insaniam, ait Laurentius Justinianus, lib. *De Perfectionis gradibus*, cap. ix.

Denique pigritia et torpor similis est torpedini pisciculo, item alteri qui echeus et remora dicitur est; de priori quidem asserit Plinius, lib. XXXII, cap. i: «Si vel hasta virgæ attingatur, quamvis prevalidos lacertos torpescere, quamlibet ad cursum veloces alligari pedes, quasi odore tantum et quadam aura sui corporis afficiat membra.» Echeudem autem ait navis validis vitæ actas tenere et sistere. «Ruant venti licet, inquit, et sevant procelle, imperat furori, viresque tantas compestic, et cogit stare navigia; quod non vincula ulla, non anchoræ pondere irrevocabi jacta. Infrænat impetus, et domat mundi rabiem nullo suo labore, non retinendo, aut alio modo quam adhaerendo. Sed armatæ classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur velut

ε μαζα. Heul vanitas humana! cum rostra illa ere terroque ad ictus armata, semipedalis inhibere possit, ac tenere devincta pisciculus. Simili modo pigritia torrefacit omnes animi vires, omnia corporis membra, ac ingentia mentis mollimina, velut nave vento actas, inhibet et sistit.

9. QUI MOLLIS EST ET DISSOLETUS IN OPERE SUO, FRATER (Chaldaeus, socius) EST SUA OPERA DISSIPANS. — Pro mollis et dissolutus hebraice est כרפופ *mitrappo*, quod Aquila vertit, μαλακωδης, id est ignavus; Symmachus, χαλαροδης, id est cessans; Theodotion, ἀμαρτος, id est remissus; Tigurina, qui friget in opere, frater est ejus qui dissipat; Vatablus, qui derelinquit opus suum, frater est domino perditus, supple facultates suas. Fratrem pro simili ponit, quod solent fratres esse similes, q. d. Qui negligens, est perdit omnia quae habet. Aut frater vocatur symbolice: quia uterque, scilicet tam mollis quam dissipans, filius est incuriae, quae sibi non prospicit, sed sua dissipari sinit.

Pro dissipantis hebraice est בעל כשרות *baal maschit*, id est viri destructoris: ita Cajetanus; vel viri vastantis, exoidentis et perditus, q. d. Qui opus aliquod remisse, frigide et osecitante facit, non tam facti opus quam destruit, adeoque simililimus est illi qui opus factum dissipat et demolitur. Minus proprie Jansenius et alii alii vertunt, viri deceptoris vel prodigi; Hebraeum enim *maschit* proprie significat vastatorem et destructorem, qualis tamen in suo genere est deceptor et prodigus, q. d. Sicut prodigus sua perdit per profusionem, ita remissus sua perdit per desidiam et ignaviam.

Significat ergo haec gnome torporem, segnitiam et ignaviam opus inchoatum adeo non promovere, ut etiam quod inchoatum est dissipet et destruat, tum quia segnis id quod operatus et lucratus non servat, sed sinit illud dilabi et diffuere; tum quia opus inchoatum, nisi perficiatur, sensim falsicit, corrumpitur et destruitur: principium enim operis pendet a medio et fine, ut, si is desistat, ruere incipiat. Id videtur esse in fabricis. Qui enim muros erexit, et tabulatum construxit: si lectum imponere negligat, sua negligentia facit ut pluvia, in muros et tabulatum impuens, illa corrumpat et destruat. Idem videre est in hortis et plantis: nisi enim quis ea assidue riget, sarriat, putet, colat; corrumpuntur, et pro fructibus lolium, sentes et spinas profertur: omnis enim res, ut conservetur, exigit culturam. Audi Ovidium, lib. V. De Tristibus, eleg. 12, per exempla naturalia id demonstrantem:

Adde quod ingenium longa rubigine laesum  
Torpet, et est multo quam fuit ante minus.  
Fertilis assiduo si non renovetur aratro,  
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.  
Tempus qui longo steterit male curret, et inter  
Concreffus missos ultimus ibit equas.  
Vertitur in terram carmen, rimisque deliscit,  
Sic qui diu solitibus cymba vacabit aquis.

Quocirca Cato in *Distichis* ita praecipit:

Segnitium fugito, quae vite ignavia fertur:  
Nani, cum animus languet, consumit inertia corpus.

Igitur segnis et torpens in opere illud dissipat, quia quod una manu operatur, hoc altera quasi destruit; quod enim labore suo adificat, hoc segnitie et torpore suo perdit et diruit. Quare tales similes sunt teke quam texebat Penelope, quae quod per diem texerat, hoc nocte retexebat et dissolvebat. Monet ergo hic versus idem fere quod vulgaris versiculis:

Non minor est virtus, quam querere, parva tueri.

Docetque quod non tantum profusio, sed etiam negligentia patrisfamilias reddit rem familiarem deteriorem. Sic et magistratum negligentia non minus nocet republicae, quam ulli hostes. Et Ecclesiam Episcoporum incuria et inscitia non minus pene afflixit, quam severa tyrannorum, qui eam arripis opprimere conati sunt.

Exstat insignis haec de re apologus Oeni (græce enim ονι; pigrum significat). Veteres enim pinxerunt Oenum apud inferos sedentem, et torquentem funem; adstantem autem illi asinam, quae statim devorabat quidquid ab illo tortam fuerat: ονις enim est ονις, hoc est, piger est asinus. Nimirum quidquid piger piger facit, id ipsum mox consumit et perdit pigritia, cujus symbolum est asinus. Unde Propertius, lib. IV, eleg. 3:

Dignior obliqui funem qui torquet Oeno,  
Æternusque tuam pascat, aselle, famem.

Hinc proverbium: «Torquet piger funiculum, Oeni funem contextit.» Pausanias, lib. X. De Phocis, Oenum industrium et laboriosum fuisse scribit, sed uxorem habuisse pigram, quae viri lucrum omne consumeret. Vide Plarium, *Hieroglyph.* lib. XII. Similes Oeno sunt hodie opifices, qui, quod per hebdomadam lucratur, die Dominico ludendo, potando, luxuriando absument. Ita quod longus durusque viri labor congregat, hoc illico carnis asella vorat. De Oeno vide Pausaniam, Plinium, Varronem, Plutarchum.

Porro haec sententia vera est in bonis spiritalibus æque ac temporalibus. Vide S. Gregorium, III part. *Pastor.* admon. 33.

Adiunt Rabbini pigrum esse fratrem dissipantis non tantum opera sua, sed et totum mundum. Tò enim *opera sua* non est in Hebræo, qui absolute habet, *frater est dissipans*. Qui enim nulli honesto vacat studio, sed otiantur, epulantur et liguriunt, quantum in ipsis est, mundum demoliri et destrueri conantur. Ita Baynus.

Mystice R. Salomon: Qui, ait, negligens est in opere et studio legis, ac Gentilium philosophorum totum se profane dedit, hic est frater *maschit*, ic est vastantis, puta Satanae.

Denique Septuaginta Complutenses et Romani vertunt, qui non medetur sibi in operibus suis, frater

ter est perditus seipsum; Hebraeum enim כרפופ *mitrappo*, si a כרפא *rapha* per aleph (littere enim כ et aleph sæpe commutantur) derivetur, significet curare, mederi. Mederi operibus, est ea ita dirimere et moderari, ut nullum in eis sit vitium (vitium enim est operi, quod morbus corpori), nullus excessus, nullus defectus, puta ut fiant non pigre et torpide, nec precipitanter et temerarie, sed prudenter et moderate. Auctor *Catenæ Graecorum* ex Septuaginta vertit, qui suis sese operibus non satiat, similis est illi qui seipsum perdit ac dissipat. Sioque explicat. Sensus est: «Qui vitam in malitia tradidit, nihil ab eo discrepat qui seipsum perimit.» Verum hic sensus mysticus est; nam ad litteram saties operationum est eorum moderatio iam dicta. Qui enim eas ex virtute operatur, hic is satiat; qui vero intemperans est et immoderatus, hic is non satiat, ut videre est in avariis, qui operantur noctes et dies, ac immodicis laboribus vires corporis et animi consumunt et ditentur. Hi enim uti luero, ita labore non satiantur, nunquam inexpleribiles.

Parallela huic sententiæ est illa cap. x. 4: «Egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium divitias parat.» Et cap. xii, 11: «Qui operatur terram suam satiabitur panibus; qui autem seclatur otium, stultissimus est.» Et vers. 24: «Manus fortium dominabitur; quæ autem remissa est, tributis serviet.» Et cap. xxii, 21: «Vestietur pannis dormitatio.» Antistropa est Christi parabola talentorum, in qua dominus a servo otioso jubet auferri talentum, dicens: «Omni habenti (id est utendi, operanti) dabitur, et abundabit; ei autem qui non habet (id est non utitur, non operatur), et quod videtur habere, auferetur ab eo.» *Math.* xxv, 29.

Audi Cyrillum Hierosolymitanum, *catech.* 2: «Si neglecto susceperis concupiscentiæ incitationem, per ratiocinationes radices in te figet, et mentem tuam ligabit, et te detrahet in foveam malorum. Sed forte dices: Fidelis sum, non me apprehendet concupiscentia, etiam si aliquod concupivero obscuro. An ignoras quod etiam in petra radix agitur, et sepe manet?» Ac si diceret cum Fabio philosopho apud Senecam, lib. *De Brevi. vite*, cap. x: «Contra affectus impetu, non subtilitate pugnandum; nec minutis vulneribus, sed incursu attendendam aciem; suggillationem enim retinendi debere, non vellicari.»

Quam quidem ad rem vide quam accommodatè hæc scripserit D. Chrysostomus in *Dogmat.*: «Si quis labores contempnim suscipiat, promptoque animo ad eos accedat, haud magnam adversus eum vim habituri sunt; at si pedem referat, ab hisque se removeat, in jores omnino ac vehementiores videbuntur.» Subjicit aptam similitudinem: «Hoc porro etiam in igne contingere videmus: etenim si magno cum impetu in eum ascenderis, protinus exstingues; si autem timide atque ignave, vehementer te ipsum exures.» Hæc

dit. Nec aliter M. Tullius, *Tuscul.* II, inquit: «Ut onera contentis corporibus facilis feruntur, remissis opprimunt: similis animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum, remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere.»

10. TURRIS FORTISSIMA, NOMEN DOMINI: AD IPSUM CURRIT JUSTUS, ET EXALTABITUR. — Ita Romani et cæteri. Minus recte ergo aliqui legunt, ad ipsam, scilicet turrim; licet ex Hebræo ita verti possit, atque eodem redit sensus. Si enim nomen Domini est turris: ergo qui currit ad illud, currit ad turrim; ac solent rustici et cives, imminente hoste, confugere ad turres. Unde Chaldaus vertit, in ea autem currit justus, et exaltabitur in ipsa; Hebraice est, turris fortitudinis (Aquila et Theodotion, turris potentia) nomen hebraice; in ipso vel in ipsam currit justus et exaltabitur; Syrus, et fortis erit; Tigurina, extra telorum factum est. Aben-Ezra Hebraeum est כו ירוך *bo iuruch* dupliciter vertit et explicat: primo, in ipso curret, id est divini nominis ope curret; secundo, in ipso contereat hostes suos; si enim iuruch derivatur a ירוך *ruts*, significat curret; si a ירוץ *ratsat*, significat contereat. Hæc autem duæ radices sæpe inter se commutantur, ut patet *Judic.* ix, 53; *Eccle.* xii, 6; *I Reg.* xxiii, 12, et alibi. Alitudo ad morem veterum, qui in urbibus et pagis erigebant turres, ad quas quasi arcus, ingruente hoste, confugiebant.

Talis fuit Romæ in Capitolio; unde urbe a Gallis capta, Capitolium Romanum et Romanos servavit. Hinc viri docti censent *Burgum* dictum a Græco βύργος, id est turris, quod in Burgis turres essent instar arcium. Jam a Burgo Germani cives vocant *Burgers*, Galli *Bourgeois*; inde dicti Burgundi, quod in Burgis, id est locis munitis, puta turribus et arcibus, ob frequentes Wandalarum, Gothorum, Alanorum irruptiones habitarent. Talis fuit turris Babel, *Genes.* x, quæ urbi Babylonii nomen dedit, de qua S. Hieronymus in *Isaia* cap. xiii et xiv: «Arx, ait, et Capitolium urbis est turris edificata post diluvium.»

Dicit ergo Salomon quod, sicut Romani in omni hostium incursum confugiebant ad Capitolium, Babylonii ad turrim Babel, Burgundi ad Burgum: ita iusti curram ad Deum eum invocando, quasi ad arcem Tarpeiam insuperabilem, et asylum inviolabile, ex quo non tantum seipos defendant, sed et hostes jactis desuper talis offendant et conerant, ut vertit Aben-Ezra. Igitur, sicut confugiens ad turrim in ejus celsitudine exaltatur: sic et confugiens ad Deum celsissimum, in illo et per illum exaltatur. Itursum «exaltabitur,» id est, stabit tanquam miles in presidio et statione sua; milites enim presidarii in turribus excubare solent, indeque depugnare et hostes impetere. Unde et stationarii vocantur. Qui enim in turri est, cæteris qui in terra sunt, celsior et superior est, ac ex alto hostes cæteraque omnia despicit, quia unus ipse centum hostes angusto

alle scandentes sistere et deturbare valet. Septuaginta vertunt, *ex magnificentia fortitudinis* (alius interpretes legit, *ex magnitudine operum*) nomen Domini; ad ipsum autem accurrentes iusti exaltantur. Quod clare sic reddit Auctor *Catenae Graecorum*: «A fortitudinis magnitudine et excellentia Domini nominatur (sive) nomen Domini est magnificentia fortitudinis, iusti autem, qui ad illum accurrunt, exaltantur.» Quod deinde idem auctor sic explicat: «Deus prepotens magnarumque virtutum Dominus appellatur, talesque efficit eos qui sese ad illum adiungunt: per nomen autem Domini, Dei cognitio interdum quoque significatur. Ad illum iusti accurrunt, etc., hoc est, per rectam inculpatamque vitam ad Deum accedunt; per contemplationem autem ab illo exaltantur. Aut quod dicitur, hoc spectat: Ex rebus creatis, earumdemque magnitudine et pulchritudine, Dei omnipotentia cognoscitur et magnificatur.» Haec Auctor *Catenae* mystice potius quam ad litteram.

Quaerens, quodnam est nomen Domini, ad quod confugiens iustus exaltatur? Respondeo, est multiplex: Primo, Rabbinis grammaticae accipiunt nomen *Iehova*, quod est in Hebraeo. Hoc enim erat apud Iudaeos quasi proprium Dei nomen, ut patet *Ezod. vi. 3*, quod invocantes se tubabatur et protegabat. Hoc etiam est tetragrammaton, ac quatuor litteris quasi lateribus turrim quadratam representat; hoc denique nominibus *Adonni* vel *Elohim*, quae ei adijungi solent, quasi vallo cingitur et obvallatur.

Secundo, plenus et profundus per nomen Dei accipias Deum ipsum nomine suo representatum; saepe enim nomen significat rem nominatam per metonymiam, ut cum quotidie oramus: «Sanctificetur nomen tuum,» hoc est, fac tu ipse, o Deus, ab omnibus ut sanctus colaris et celeberris, ut tua majestas et sanctitas ab omnibus agnoscat et adoretur. Ita S. Augustinus in *Psal. lxxiv. 4*, explicans illud de Deo dictum: *Turris fortitudinis a facie inimici*, sic ait: «Christus nobis iustus est turris a facie inimici; cave ne feriaris a diabolo: fuge ad turrim. Nunquam te ad illam turrim diabolicae jacula secuta sunt; ibi stabis munitus et fixus. Ante te est turris: recordare Christum, et intra turrim. Quidquid pateris, cogita quia prior passus est; et cogita quo fine percussus est, ut moreretur et resurgeret. Talem et tu finem spera, qualis in illo praecessit; et intrasti turrim.»

Tertio, per nomen accipias robur et omnipotentiam Dei; Dei enim nomen est omnipotens, prepotens, fortissimus, Deus Israel, etc.; unde Septuaginta vertunt, *magnificentia fortitudinis est nomen Domini*, uti paulo ante dixi. Simili signifiantes nos cruce dicimus: «In nomine (id est in virtute) Patris et Filii et Spiritus Sancti,» supple: ordior vel facio hoc opus.

Quarto, nomen Dei est Dei auxilium et protectio. Sic Christus ait, *Joan. cap. xvii. 12*: «Pater sancte,

serva eos in nomine tuo,» id est conserva eos sub tua protectione et tutela, ait Theophylactus et Euthymius, juxta illud *Psal. xc. 1*: «Qui habitabit in adjutorio (quasi in turre et arc) munitissima. Altissimi, in protectione Dei caeli commorabitur.» Ubi vide S. Bernardum.

Quinto, nomen Dei est nominatio et invocatio Dei per suum nomen, *q. d.* Oratio et invocatio Dei est quasi turris celsissima, ad quam in quavis tribulatione iusti confugiunt et exaltantur, quia mente ad Deum elevata, in eo quasi exaltati habitant liberi ab omni hoste, securi a quavis adversitate, superiores terra, cives caeli, domestici Dei. Audi S. Chrysostomum, lib. II *De orando Deum*: «Sicut civitas, quae turribus ac muris cincta non est, facile venit in potestatem hostium: sic et animam non munitam precibus diaboli facie in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni seclerum genere implet. Ceterum ad animam precibus munitam non audet propius accedere, metuens robur ac fortitudinem, quam illi oratio subministrat.» Alludit ad stationem militum in turribus, a quibus Ecclesia sumpsit nomen stationum. Sic enim vocat dies statos orationi et jejunio dicatos, quibus quasi in statione exoubant fideles, ac contra diabolum ceterosque decertant. Unde Tertullianus, lib. *De Oratione*, in fine, ait quod statio solvenda sit accepto corpore Domini: «Nonne solemus, ait, erit statio tua, si et ad aram Dei steteris? Si statio de militari exemplo nomen accepit (nam et militia Dei sumus), utique nulla letitia sive tristitia obvenciens castris, stationes militum sive tristitia vel tristitia a statione descendant, *q. d.* Sic nec Christiani stationem orationis et jejunii deserere debent, quaecumque causa leta vel tristis occurrat.

Denique nomen Dei est nomen Jesus; hoc enim est nomen proprium Verbi incarnati, quod salutem quam significat, omnibus ad se velut ad turrim confugiuntibus praestat, juxta illud: «Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,» *Act. iv. 12*. Vide S. Bernardum, *serm. 43 in Cantica*. Vide etiam quae de hoc nomine dixi *Philipp. ii. 40. Num. xii. Habacuc iii. 18*.

11. SUBSTANTIA DIVITIS, URSUS ROBORIS EJUS (Septuaginta, *urbis munita*): ET QUASI MURUS VALIDUS CIRCUNDANS EUM. — Prius hemistichium audivimus *cap. x. vers. 15*, ubi illud explicui. Postioribus Hebraea sic habent, et *murus praecelsus*, *וְיָסֵב בְּמַשְׁכֹּתָיו* *benaschito*, quod Paeninus et Baynus vertunt, *in imaginatione ejus* (1), hoc est, ut Vatablus *אֵלֶיךָ* *frigit sibi opes suas urbis fortissima, ac muri altissimi loco esse*; Cajetanus, *in calaturis ejus*; R. David, *in pictura ejus*; alii, *in cubiculis ejus*; alii, *in conspectu ejus*; R. Salomon, *in penetrabilibus ejus*; Chaldaeus, *quasi murus elevatum est habitaculum ejus*; Syrus, *hebraeo ejus in muris fortibus*; Sep-

(1) Recte. Hoc comma precedenti opponitur.

tuaginta, *at gloria ejus valde obumbrat*; de quo postea.

Hinc R. Levi et Aben-Ezra censent hunc versum priori opponi, *q. d.* Justo turris fortitudinis est nomen Domini, quod enim taturat, ut nullis adversis possit expugnari: at diviti urbs et turris fortitudinis sunt opes ejus; sed hac differentia, quod justo nomen Domini revera sit turris fortitudinis, opes autem diviti non revera, sed tantum in opinione et persuasione ejus sicut urbs fortitudinis. Putat enim se per eas ab adversis fore tutum, ac illarum opes exaltandum, sicut justus nomine divino. Justus ergo in Deo verum habet asylum et propugnaculum, dives in opibus tantum fictum, pictum et imaginatum. Ipse enim hoc sibi in mente fingit et pingit, quod nusquam exstat; quare minimo adversitatis incursum diffultat et evanescit instar tela araneorum, juxta illud *Isaia lxi*: «Tela araneae lexeerunt; tela eorum non erunt in vestimentum.» Hic igitur primus est sensus, quo *benaschito* significat *in imaginatione ejus*.

Secundus est quo Cajetanus vertit, *in calaturis ejus*; R. David, *in picturis ejus, q. d.* Dives, cum in cubiculis suis affabre celatis obambulat, securum et fideicam se aestimat, perinde ac si muris praecelsis vallaretur. Aut, ut R. Abraham: «Et tanquam murum elevatum reputat exaltatum aurum et argentum, quibus domus illius plena est.» Addit idem verti posse, et *sicut murus altus in prospectu ejus, q. d.* Dives aurum suum assidue habet in prospectu, id est jugiter illud respicit quasi murum, in quo spes, salus et munimen esse recumbit. Alius sic exponit, *q. d.* Sicut qui alto loco consistit, si deorsum prospiciat, vertigine capite agit, quia circumactus sponte deorsum ruit et colliditur: sic dives propter opes in superbia actus, praecapitis sensusque sui imbecillitate in praecipit ruit, et in exitium rapitur.

Tertio, Noster *benaschito* vertit, *in tegumento ejus a rad. כסא* *sacach*, id est texit, operuit; unde vertit, *circumdans*, id est tegens, vallans, muniens eum, *q. d.* Dives, dum opibus se tectum circumtexit, putat se muro valido tegi et vallari.

Denique Septuaginta *benaschito* vertunt, *in obumbratione ejus*; unde vertunt, *gloria autem ejus valde obumbrat*. Quod primo, sic accipi potest, ut consentiat cum Vulgata, *q. d.* «Obumbrat,» id est obtegit, circumdat et communit divitem gloria et pompa quam sibi opibus suis parit. Dum enim splendidis vestibus indutus, stipatus famulis, equo vel curru vectus, pompaticè incedit, videtur illi undique cingi et communiri, imo alios obumbrare, tegere et protegere. Unde Auctor *Catenae Graecorum* hunc versum ex Septuaginta sic reddit: «Opes viro diviti sunt instar propugnaculi munitique civitatis; interim gloria et majestas sunt, quae eas plurimum propugnatum atque exornant.»

Secundo, *obumbrat* potest referri ad picturam;

pictores enim parva et obscura obumbrant, ut umbræ oppositu magna et clara coloribus claritas representent, adeoque tota ars pingendi consistit in umbris et coloribus rite miscendis et apposite disponendis; quin et umbra naturalis est corporis imago: unde ab umbris pictores imagines pingere didicerunt: «Umbra hominis lineis circumducta, quam deinde colorare testa trita primum invenit Cleophantus Corinthius,» ait Plinius, lib. LXV, cap. ii.

ergo *obumbrat* significat primo, opes non esse corpus bonumque solidum, sed umbram duntaxat fugacem et evanidam. Quid inanius et fugacius umbra? umbra autem sunt opes et pompa mundi. Secundo, opes sua umbra et specie obumbrare et decipere oculos mentesque hominum. Sicut enim umbra corporum manet et vespere sunt maxima et corpore longe majores: sic species opum longe major est re; ostendunt enim quid magnum et beatum, cum nil tale consistant, uti patet moribundis in morte, et Beatis in celo: ibi enim quasi in plena luce et meridie felicitatis, fugantur omnes umbræ opulentiae et felicitatis, umbratilis et terrene, juxta illud *Cant. ii. 17*: «Donec aspires dies, et inclinentur umbræ.» Quin et Plinius, lib. II, cap. x, asserit, aliud non esse notem quam terræ umbram. Et mox: «Ergo confinium illis (umbris) est aether terminus, initiumque aetheris. Supra lunam pura omnia, ac diuturna lucis plena.» Tertio, pictores, ait noster Salazar, dum quid deprimere volunt, pingunt umbram, dum vero allollere, colorant; adumbratio enim magna deprimit, color parva attollit, *q. d.* Dives majora bona, id est spiritualia et aeterna, ignorantibus vel passionum umbris tegit, et partes alias, nimirum caduca et temporalia, praeclearis coloribus illuminat; propterea haec altiora, et illa depressiora ipsi videntur. Secus justus ac pius homo haec spiritualia bona, quae per se majora sunt et digniora, colorum ac pigmentorum illuminationibus elevat; item temporalia et caduca, quae per se minor et leviora sunt, additis umbris contegit ac deprimit.

Mystice Beda: «Non terrena substantia, ait, semper defendere potest; imo plerique propter divitias sunt pauperi vel occisi. Unde et Ecclesiastes, ait: Divitiae conservatae in malum domini sui; perent enim in afflictione pessima. Melius ergo intelligitur substantiam laudari virtutum, quibus quicumque abundat, quasi muro inexpugnabili cunctas hostium arces insidias.» Accedit noster Alvarez de Paz, lib. IV *De Perfectione*, part. II, cap. xxi, qui per substantiam accipit perfectionem virtutum, quae hominem contra omnia vitia, demones et mala universa communit et tutatur, causamque assignat: Praesentia, ait, Domini animam inhabitantis, et eam protegentis, hujus securitatis est causa. At in quo consistit ista securitas? Certe in hoc quod perfectus pro sua vite et profectus ratione gravia peccata prostravit, vitis



existit, inordinatus affectus deiecit, et jam victos rationi et divinæ voluntati subjugavit. Atque in quadam vitæ celsitudine positus, non est cur timeat ea que in imo consistentes inquietant. Hic thesauravit thesauros in celo, id est in celsissima puritate vitæ, que celi similitudinem gerit, quo fur non appropriat, neque tineæ corrumpit, et ideo nec fures, scilicet adversarios externos, timet; nec tineam, internas videlicet rerum malorum concupiscentias, metuit. Quid enim ille trepidet avaritiæ et rerum temporalium possidendarum bellum, qui pro perfectionis desiderio et paupertatis amore omnia contempsit, et vix ipsum parvisimum victum, et vile indumentum corpusculo necessarium admisit? Quid timeat suæ carnis venenatum sibilum, qui, ut eam spiritus imperio subijceret, omni asperitatum et afflictionum genere domat, et licita frequenter ei negat, ne illi cœ concupiscat? Quid horreat propriæ voluntatis occursum, et honorum ac dignitatum appetitum, qui minimam quoque honoris significationem fugit, et in aliquo etiam modico suam voluntatem sequi, ut pestem infestissimam perhorrescit. »

12. ANTEQUAM CONTERATUR, EXALTATUR COR HOMINIS: ET ANTEQUAM GLOBIFICETUR, HUMILIATUR. — Hebr. ante fracturam elevabitur cor viri, et ante gloriam humiliatur; Symmachus et Theodotus, et ante gloriam mansuetudo; Vatablus, ante gloriam dejectionem, g. d. Superbi humiliantur, et humiles exaltantur. Auctor *Catechæ Græcorum ex Septuaginta* sic vertit, cor hominis non prius exaltatur quam deprinatur et conteratur, nec prius rursus gloria politur quam humilietur. S. Hieronymus, *epist. 32*, legit: Ante gloriam humiliabitur cor viri, et ante ruinam exaltatur. Ille versus repetitur ex cap. XVI, vers. 18, ubi eum excipit, quibus adde quemdam sic moraliter explicare, g. d. Afflictus et contritus est homo, qui seipsum per superbiam extulit; unde ut a malis liberetur, et ad pristinam prosperitatem redeat, necesse est ut seipsum humiliet.

Preclare S. Bernardus, *serm. 54*, in *Cantica*; « Oportet, ait, humiliter sentire de se nitentem ad altiora, ne dum supra se attollitur, cadat a se. » Et paulo post: « Nisi humilitatis merito maxima minime obtinentur. » Huc facit proverbium Aram, *cent. 1*, num. 3: « Si nescis ascendere per eam, non ambulabis super tectum, » id est, si non potes te humiliare et subijci duci, neque dux eris. Nam non solum ad dominium promovetur qui sub aliorum dominio continere se nequeunt; quia nemo recte dominum agit, qui non ante ministerium gessit, adeo ut servitus via sit ad imperium, non secus ac scala ad tectum.

13. QUI PRUS RESPONDET QUAM AUDCAT, STULTUM EST. — DEMONSTRAT ET CONFUSIONE DIGNUM, — quia præter rem de qua interrogatur, imperlinenter de alio respondet, aut periculo respondendi se exponit, ut rogatus de fabis, de cepis respondeat, ut vulgo dicitur. Hebraice, reddens verbum antequam

audiat, stultitia est et in gloria; Septuaginta, impudentia est et ebrietas; Chaldaice, confusio; Vatablus, pudore et confusione affectus. Salomonem secutus Siracides ait, *Ecclesi. XI, 8*: « Primum audias, ne respondeas verbum, et in medio sermonum ne adicias loqui, » ubi plene utriusque nomen explicuit; quare hic iota non addam.

14. SPIRITUS VIRI SUSTENTAT IMBECILLITATEM (Chaldaice, infirmitatem; Syrus, affectus et propensionis) SUAM: SPIRITUM VERO AD IRASCENDUM FACILEM QUIS POTERIT SUSTINERE? — g. d. Nullus, nisi valde patiens et mansuetus, ait Lyranus. Pro *ad irascendum facilem*, Hebraice est *נַחֵם* *necha*, quod primo, Theodotus derivans a *נָחַם* *nacha*, id est percussit, verit percussum: « Et spiritum, inquit, percussum quis portabit eum? » Secundo, alii derivantes a *נָחַם* *hach*, id est dolere, tristari, infirmari, vertunt *dolentem*, tristem, infirmum; Syrus, *dolore concussus*. Tertio, Septuaginta vertunt *doctus*, id est parvi animi, sive pusillanimem; Chaldaice, *objectum*, Figurina, *affectum passionalis*, quod Noster vertit, *facilem ad irascendum*. Quarto, alii, *perturbatum, contritum, obscuratum*, qui lux gaudii adempta est per tristitiam vel iram. Jam

Primo, Aben-Ezra sic explicat, g. d. Spiritus, id est anima, viri ægritudinem tolerabit, corpusque irrigabit: illa, inquam, que sapientiae possessione referta dolores patienter sustinet; hic enim est vir, qui fortitudine prestant animam a dolore subigi non patitur, sed quæcumque eveniunt, hilari animo prudenter excipit; at spiritum, *necha*, id est, animum dejectum, et dolori iraque succumbentem, ob huius sæculi inaniam, de qua ea obtinere nequit, quis sustinebit? Et R. Levi: Si animus ipse, inquit, ita vexetur morbo, ut succumbat et languescat, quid illum recreabit? Nec enim aliquid est, a quo ille reparari queat. Unde et Vatablus vertit, *spiritus hominis perfert morbum illius, spiritum vero percussum quis feret?* si que explicat, g. d. « Spiritus hominis facile perfert morbum corporis; sed morbum spiritus, hoc est suum, non potest, hoc est, si animus male habeat, nemo est qui illum sanare possit (1). »

Secundo, Cajetanus sic vertit et explicat, *spiritus viri feret ægritudinem suam, et spiritum contritum quis feret illum?* Sique explicat: Dispartis inter mala spiritus (mala quasi congenita, seu ab intrinseco nata) et mala ejusdem ab extrinseco proficiscentia describitur per hoc, quod illa sunt tolerabilia, ista vero intolerabilia. Assimilans itaque mala ab extrinseco nata intrinsecis ægritudinibus, dicit quod viri spiritus sufferet ægritudines proprias (puta pusillanimitatem, iracundiam præcipientem, et alias hujusmodi animi ægritudines); spiritum vero contritum ab alio (hoc est non solum percussum et fractum, sed etiam quasi con-

(1) Maurer: « Quum animi est corpus regere, non autem corporis regere animum, corpus, si fuerit ægram, sustinebit animus: animus vero, si afflicus fuerit, nihil est quod ferat. »

tritum ignominis, desperationibus, irrisionibus, aliisque injuriis) quis sufferet? ne si apertus dixerit: intolerabilis est, sed quia difficile valde tolerari potest.

Tertio, alii vertunt in nominativo: « Spiritus ad irascendum facilis, quid poterit sustinere? » g. d. Spiritus viri, id est virilis, facile tolerat suam infirmitatem; at spiritus pusillanimis, qui ad leve verber vel verbulum stomachatur et exandescit, nihil vel minimum adversi potest tolerare. Verum omnes alii vertunt in accusativo: « Spiritum ad irascendum quis poterit sustinere? » Hebraicum enim *י מי* significat quis, non quid; interrogativum enim est persone, non rei.

Quarto, Septuaginta per spiritum accipiunt iram; irati enim naribus spiritum sivo halitum copiosum efflant. Per *imbecillitatem* accipiunt servum infirmum, vilem et abjectum. Unde vertunt, *iram viri mitigat servus prudens; parvi animi autem virum quis sustinet?* g. d. Iram viri cordati, prudentis et magnanimi sedabit servus prudenti suo consilio et eloquio: quia vir rationale et prudentia duci se sinit; at pusillanimem, qui nihil sufferre valet, sed ad quolibet exandescit, quis feret? nec enim ratione, sed ira et impatientia continetur agit. Unde infert Auctor *Catechæ Græcæ*: His aperte ostenditur, inquit, ignaviam animique abjectionem iræ deteriori esse: siquidem iracundum, vel domesticum famulus, etiam nullam potestatem, nec magnam quoque dicendi libertatem habet, temporis lapsu placaverit; at vero ignavia meteque laboris fractum nequaquam.

Quinto et genuine, « spiritus viri » est spiritus virilis, generosus, magnanimus, ideoque vegetus, lætus et alacer; hic quamlibet infirmitatem tam suam quam alienam facile suffert et portat, quasi gigas quidam robustissimus; at spiritus pusillanimis, qui si vel ac tangatur, irascitur et exandescit, adeo nihil tolerare et portare potest, ut et ipse tam sibi quam aliis, etiam generosis et robustis, sit importabilis et intolerabilis: « Quia, ut ait Beda, qui ad irascendum facilis est, nec seipsum potest sustinere, ita ut iratus sepe dicat ea que mox eum placidus est, quia dixerit, ponit, plerumque etiam am dixerit ignorat.

Nota, *v* spiritus viri sustentat, Hebraice *יְכַלְכֵל* *ekhalhel*, id est fert, portat, bajulat. Alludit enim ad bajulos, qui, cum valido sunt spiritu et halitu, valida et gravia portant onera; quia, ut ait Aristoteles, lib. *De Respir.*, fortitudinis et roboris ad onera bajulanda, spiritus et anhelitus mensura est: quo enim quis per nares vehementius ac productius anhelat, eo robustior est ad onera bajulanda; quo vero quis exilius et brevius spiritum per nares ducit et reciprocatur, eo infirmior, et oneribus portandis debilius est. Apte ergo dicit Salomon « spiritum viri, » id est virilem, fortem et constantem, bajulandæ infirmitati cullibet sat virium afferre. Spiritus enim viri est animus vi-

rius et magnanimus, imo est ipsa virtus, robor et magnanimitas. Unde S. Ambrosius, lib. *I in Lucam*, ad illud de S. Joanne Baptista: Erit enim magnus coram Domino: « Est, ait, coram Domino magnitudo animæ, magnitudo virtutis. Est etiam parvitas animæ, et pueritia virtutis, etc. Erit itaque Joannes magnus non virtute corporis, sed animi magnitudine: parvus in sæculo, magnus in spiritu. » Huc facit illud Seneca, *epist. 66*: « Magnanimus est qui omnia rerum diversorum onera rigida cervicē sustollit, qui supra fortunam existat. Non mirum est in tranquillitate non concuti; illud mirare, tibi extolli aliquem ubi omnes depriuntur; ibi stare ubi omnes jaçant. » Et rursus: « Magnanimus stat reclus sub quolibet pondere, nulla illum res minore facit; nihil eorum que ferenda sunt, displicet, et quidquid cadere in hominem potest, in se occidisse non querit. » Et Plinius, lib. XVI, cap. XLII: « Ut palme arboris ramus, ait, impossibile onere non dellectitur in terram cæterarum modo, sed renititur, et ultra adversus sarcine pondus erigit sese: ita viri fortis animus suo consilio et eloquio: quia vir ratione et prudentia duci se sinit; at pusillanimem, qui nihil sufferre valet, sed contra audentior ito. » Unde Lyranus sic exponit, g. d. « Spiritus viri, » id est, bonitas cordis sustentat imbecillitatem suam ex parte corporis, quia plus aliquando facit, quam habens corpus forte et cor debile. Unde S. Gregorius, *homil. 12*: « Vires, ait, quas imperitia denegat, charitas subministrat. » Contrarium accidit in pusillanimibus; hi enim festuque onus non ferunt, sed illico concidunt, tristantur, queruntur, irascuntur. Unde S. Basiliius, *hom. De gratiis agendis*: « Sicut, ait, vermes in lignis mollioribus enascuntur, ita animi impletates in mollioribus hominum mentibus oriuntur. » Et S. Chrysostomus, *hom. 38* in *epist. I ad Corinth.*: « Quomadmōdum sana corpora, si modo pane victent, pingua, vegeta sunt tamen; morbida vero, etiam sumptuosa variaque mensa, imbecilliora redduntur: sic venire in animis hominum solet; pusillanimes, ne si diademate quidem et immensis honoribus potiuntur, redire ad se possunt, philosophi vero etiam in vinculis, in catena, voluptate mæra fruuntur. » Sic Christus infirmitatem carnis, in *pac. one*, spiritus robore sustentavit et superavit. Unde ait: « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, » ait Beda, qui et addit: « Potest et de quolibet viro sancto accipi, qui carnis imbecillitate, ne in tentationibus cedat, mentis fortitudinem sustentat, » uti fecere *sancti Martyres, Confessores et Virgines*. « Tormenta enim Martyres Dei consecravit, et in ipsa passionum probatione sanctificant, » ait S. Cyrillus, *lib. IV, epist. I ad Rogatium*. Sic S. Paulus ait: « Cum infirmus, tunc potens sum. » *II Cor. xi, 10*. Sic spiritus S. Francisci sustentabat carnis ejus penitentiam et laboribus exhaustam, ut etiam in via onera viatorum ingentia, ipse ex charitate in